CONSTITUTIONES CAPITULI VOLATERRANI

Cattedrale di Volterra

Digitized by Google

INDEX CAPITVM CONSTITVTIONVM CAPITVLI VOLATERRANI.

PRohæmium.
1 *De Auctoritate Capituli, & qui veniant appellatione Capituli.*
2 *De Capitulo conuocando, & de alijs, quæ in eo requiruntur, & de modo ſcrutandi vota.*
3 *De Reſidentia Capituli.*
4 *De modo, nomine, & ordine conſtituendo ſuper præbendis.*
5 *De Collatione Canonicatuum Eccleſiarum, & Cappellaniarum ad Capitulum ſpectantium, & de ipſorum inſtitutione.*
6 *De iuramento præſtando pro nouos Canonicos, & Cappellanos.*
7 *De profeſſione fidei per Canonicos emittenda.*
8 *De Pluuialibus per nouos Canonicos faciendis.*
9 *De Optandis Præbendis.*
10 *De Præbendis omnibus in Codicem deſcribendis, vnà cum bonis Capituli.*
11 *De habitu, & tonſura.*
12 *De nouorum officialium creatione.*
13 *De officio Camerarij.*
14 *De officio Domini de Cura.*
15 *De Canonico deputato ad actiones, & deliberationes Capituli deſcribendas.*
16 *De officio Choriſtæ.*
17 *De Chori obſeruantia.*

18 *Quibus officijs, quibuſue terminis vnuſquiſq; Choro intereſſe debet.*
19 *De præcedentia.*
20 *De diſtributore, & eius officio.*
21 *De Chori diſtributionibus.*
22 *De diſtributionibus non alterandis, & qui eas participandi ſunt habiles.*
23 *De feſtis externis, & illorum diſtributione.*
24 *De pecunia recepta ex liuellis Maſſæ Capituli applicanda.*
25 *De paraturis.*
26 *De Rotulo, ſiue Tabula ſingulorum noſtri ordinis.*
27 *De Tabulis in ſacriſtia appendendis.*
28 *De Proceſſionibus.*
29 *De annua communione ſeruāda per Canonicos, & Cappellanos.*
30 *De gubernatione, & miniſterio Eccleſiæ.*
31 *De menſa Taxarum.*
32 *De Numero Taxam recipere obligatorum, & eo non augendo.*
33 *De numero Miſſarum quotidianarum.*
34 *De modo ſeruando in celebratione Miſſarum.*
35 *De ordine celebrandi Miſſas planas.*
36 *De legiptimis impedimentis.*
37 *De vocatis ab Epiſcopo dignitatibus, & Canonicis.*
38 *De cura animarum.*
39 *De officio Sacriſtæ.*
40 *De officio conſeruatorum Sacriſtiæ.*
41 *De viſitandis infirmantibus a Camerario.*
42 *De funeribus aſſociandis.*
43 *De honore defunctis noſtrorum conſanguineis exhibendo.*
44 *De officio celebrando in morte Canonicorum.*

45 De ſubſtituendis loco Cappellanorum.
46 De confirmatione ſubſtitutorum.
47 De Clericorum Magiſtro.
48 De Clericis, & ſchola viſitanda.
49 De viſitatione Beneficiorum Capituli.
50 De non exigendis nouis Cappellis ſine conſenſu Capituli.
51 De Prædicatore eligendo.
52 De officio ſcribæ, & eius electione.
53 De ſigillo Capituli per quem retinendo.
54 De Domibus Canonicæ, quæ pertinent ad Capitulum, & eorum Taxa.
55 De Menſibus abſentiæ.
56 De Mulctis ſiue pœnis omnibus.
57 In Conſtitutionibus dubijs, quid agendum.
58 De abrogatione veterum Conſtitutionum.

CONSTITVTIONES
CAPITVLI CATHEDRALIS
ECCLESIAE VOLATERRANAE.

Prohæmium.

IN NOMINE Santiſsimæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; nec non Beatiſsimæ Virginis Matris Mariæ Aduocatæ noſtræ, & Sanctorum Iuſti, Clementis, & Octauiani, atq; Victoris martyrum Patronorum noſtrorũ, & aliorum omnium ſanctorum, & ſanctarum Dei. Amen.

LICET à maioribus noſtris iam dudum, atq; in primis ad perpetuam Dei Opt.Max.gloriam, necnon Decus, atq; incolumen huius noſtræ Volaterranæ Eccleſiæ ſtatum, multa per conſtitutiones perpetuò obſeruandas, decreta, & inſtituta fuerint, adeò prudenter digeſta, matureq; ponderata, vt eo tempore nihil quicquam in ipſis deſiderari videretur. Veruntamen quoniam res humanæ omnes mutationi, ac temporum viciſsitudini ſunt obnoxiæ, atq; omnia (vt aiunt) orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. Factum eſt vt plurima illorum temporis diuturnitate immutata ſint,

multa

multa vitiata, multaq; obliterata, nonnulla etiam infirmata minuſq; apta, & idonea, & alia noſtri temporis cōditioni nō conſentanea, multa etiam quaſi cōſuetudine, ex nouo viuendi ritu, atq; ex diſpoſitione Sacroſancti Tridentini Concilii abrogata, & antiquata iudicentur. Proinde mirum nemini videri debet, ſi iuxta temporum conditionem leges, & ſtatuta mutentur. Nobis igitur, quibus eadem cura noſcitur ex alto com miſſa(ſuadente in primis, atq; hortāte Reuerendiſsimo Patre, & Præſule noſtro GVIDONE) Viſum eſt ex veteribus illis nouas edere noſtris moribus, & his præcipuè temporibus congruentes, necnon à vitiis omnibus expurgare, obſoleta renouare, infirmis robur, atque obſcuris lucem afferre, & ex earum volumine potiora, atq; vtiliora excerpere, noſtriſq; moribus, ac temporibus congruenter aptare. In his itaq; diuini Cultus imprimis ordo pandetur, correctione digna emendabuntur, dirimentur lites, altercationes, & iurgia, ſi qua fuerint, extinguentur. Ad hæc rerum agendarum ratio præſcribetur; Semita, Diua præſertim Dei Genitrice Glorioſa Virgine Maria Aduocata noſtra Duce, ac Sanctorum Iuſti, Victoris, & Octauiani Patronorum noſtrorum interceſsione potiundæ tranquillitatis, & pacis, ſine qua Deo placere nunquàm ſanè poſſumus, aperietur, & ſine qua florentiſsimæ quidem Vrbes regnaq; opulentiſsima funditus euerterentur, ne dum Collegium, & noſtra hæc Eccleſia vtiq; peſſum iret. Atq; hoc modo fiet in poſterum, vt tran quilliorem, pacatioremq; vitam degamus, & ſalutem

in Do-

in Domino conſequamur æternam. Nos itaq; Archidiaconus, Dignitates, & Canonici omnes Maioris Eccleſiæ Volaterranæ videlicet.

D. Nicolaus Seruidius Archidiaconus.
D. Iulius Inghiramus Archipræsbiter.
D. Antonius Babbius Decanus.
D. Segherius Segherius Præpoſitus.
D. Chriſtophorus Barlectanus.
D. Hieremias Rapuccius.
D. Octauianus Pichinenſis.
D. Benedictus Bardinus.
D. Michael Contugius.
D. Gherardus Broccardus.
D. Franciſcus Marchius.
D. Ludouicus Burſellius.
D. Bernardus Phæus.
D. Hieronimus Liſcius.
D. Hieronimus Incontrius.

Adhoc ſæpiſsimè ſolemniter congregati, & totum Capitulum legiptimè repræſentātes, habita ſuper his omnibus frequentiſsimè matura diſcuſsione in Dei Opt. Max. nomine, à quo inchoanda eſſe omnia nos monet Apoſtolus, nouas has conſtitutiones condidimus, ſiue potius veteres expurgauimus, & illas ſub congruis titulis, vt in Indice videre eſt, rectè, atq; ordine digeſsimus; Quaſue deſcribi in hoc volumine, ac promulgari mandauimus; Decernentes, vt poſthàc Archidiaconus, Dignitates, & Canonici omneſq; alii, ad quos illarum obſeruatio ſpectat, his tantùm parere, atq; obedire

dire teneantur: Cæteris omnibus & quibuſcumq; decretis, & conſtitutionibus, quæ ante hac à predeceſſoribus noſtris, ſiue à nobis conſtitutæ fuerunt abrogatis, delectis, ac pœnitus antiquatis; Quarum loco has prædictas in meliorem formam redactas, perpetuò valituras, atq; inuiolabiliter obſeruandas, reponimus, præcipimus, volumus, & mandamus.

De auctoritate Capituli, & qui veniant appellatione Capituli. Cap. I.

ARchidiaconus, Dignitates, & Canonici pacificè poſsidentes, præbendamq; integraliter aſſecuti conſtituti in ſacris non minores annis viginti duobus, numero non pauciores octo, & in reſidentia ſolita legitimè congregati, etiam ſi Archidiaconus abfuerit, eius partes Archipræsbitero, & eo abſente, Decano, & nõ exiſtentibus dignitatibus, poſt eas vno ex canonicis, ſucceſsiue & ordine antiquiori ſupplente, appellatione Capituli veniant & compræhendantur: Penès quos ſit omnis auctoritas, & poteſtas libera, & abſoluta generaliter & ſpecialiter iuxta conſtitutionum noſtrarũ ſanctiones determinandi, deliberandi, gubernandi per ſe, & per miniſtros, & omni modo diſponendi omnia, & ſingula negocia, & circa ea in totum vel ex parte rerum, tàm temporalium, quàm ſpiritualium ad Capitulum, & Eccleſiam noſtram qualitercumq;, & quomodocumq; ſpectantia, & pertinentia. Ad quos item ſpectet officialium creatio tempore congruo, ſubſtituto-

rum, Cappellanorum, & Magiſtri Clericorum admiſſio, & acceptatio. Primi conſtitutiones, & decreta noſtra ſincerè, & inuiolabiliter obſeruare debent, curareq́, vt ſimiliter ab aliis obſeruentur: Ius habeant nihilominus ſi ex nouo ritu viuendi, aut alia noſtræ Eccleſiæ vtilitate, & decore poſceretur, eas ipſas, & earum quaſlibet abrogandi, nouas alias ſanciendi, ſancitarum defectus ſupplendi, caſtigandi exceſſus, ambiguitates, difficilia, & dubia declarandi, & interpetrandi. Poſsint inſuper diſtributiones pro neceſsitate temporis, & capitularis Menſæ noſtræ poſsibilitate minuere, & augere, & eis, aliiſq; debitis, & oneribus noſtri Capituli prius ſolutis, & non aliter, ſiquid ex prouentibus ſeu redditibus ſuperent, inter ſe diſtribuere legitimo præcedente partito, & obtento per quatuor ex quinq; partibus Canonicorum tunc Capitulo intereſſentium. Errantes corrigant, omneſq; Eccleſiæ perſonas minus honeſtè ſe habentes, tam circa diuinum cultum, quàm circa negocia in totum, vel ex parte Capitulum ipſum vtiq; tangentia, aut ſecundum præſcriptas in conſtitutionibus pœnas, aut vbi pœnæ præſcriptæ non ſunt, ſecundum delicti menſuram ſuo iure, atq; auctoritate (etiam ſi Dignitates aut de numero officialium delinquentes ſint) corrigere, punire, diſtributionibus priuare, ab officio ſuſpendere, eoq; officio, ſi quempiam tanta pœna dignum inuenerint, ſpoliare, & ad idem alium ſubrogare. Pecuniarias etiam pœnas pro arbitrio rationabili, tamen cauſa exiſtente, imponere, proſequi, & exigere: At ſi ab ordinario

cuius

cuius Iuriſdictioni Capitulum, Dignitates, & Canonici, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus hactenus obnoxii, atq; ſuppoſiti fuerunt, & ſunt pro delicti menſura quilibet punitus, & caſtigatus fuerit, poſt pœnam à Capitulo delinquenti inflictam, tunc & eo caſu punitus, à Capituli pœna abſolutus eſſe intelligatur: Canonicatus, Præbendas, & Cappellanias, & alia beneficia ad Capituli diſpoſitionem pertinentia conferat, & in eis rectores eligat, & inſtituat, eo tamen modo, & forma, qua infra diſponitur in Capitulo de collationibus Canonicatuum. Ad Capitulum quoq; pertineat facere emptiones, venditiones, permutationes, emphyteoſes, ſiue liuella, alienationes quaſlibet, & locationes, vltra triennium, ſi fuerint in euidentem vtilitatem, & nō aliter, & his ſeruatis, quæ in rebus Eccleſiæ alienandis ſeruari decet, hoc eſt ſaluo ſemper Sedis Apoſtolicæ beneplacito.

De Capitulo conuocando, & de his, quæ in eo requiruntur. Cap. 2.

PRo gerendis, ac pertractandis Capituli noſtri rebus, ac negotiis decernendis, quòd ſingulis ſextis feriis poſt decantatam miſſam maiorem, ſine alia intimatione Capitulum congregetur in loco ſolito, & non alibi, Aliis vero diebus ſi negociorum neceſsitas vrgeat, Archidiaconi nomine, vel eo abſente, vel requiſito nolente, ad requiſitionem Archipresbiteri, & ſucceſsiuè aliarum dignitatum, vel antiquioris Canoni-

ci, vt ſupra, poſsit haberi, citatis per ſacriſtiæ Clericũ vna die pro altera, vel pro tempore etiam propinquiore, prout negocium expetiuerit, dummodo eo tempore quo in Choro diuina officia celebrantur, Capitulum non habeatur, niſi forte aliquid occurrat, quod moram non patiatur. Si verò de aliquo magni momenti negocio tractandum fuerit, vt potè de nouorũ Canonicatuum, ſiue Cappellaniarum creatione, de alteratione conſtitutionum, de augendis, vel minuendis diſtributionibus, de alienandis bonis, vendendiſq; de creandis nouis officialibus, & huiuſmodi, de quibus ſtetur Capituli declarationi, an talem diligentiam mereantur, citentur nominatim, etiam quod ſit dies veneris congregare ſolitus per Clericum Sacriſtiæ omnes Canonici exiſtentes in Ciuitate, ſiue perſonaliter ſiue domi eorum habitationi, nec non ab vrbe diſtantes per Edictum dummodo ſint in Diœceſi, dato illis ſex dierum temporis interuallo, citatiq; teneantur omnes intereſſe, non ſolum quando vocati fuerint, ſed etiam in omnibus diebus veneris ordinariis, aliàs mulctentur in quinq; ſolidis pro qualibet vice: quam mulctam, ſeu pœnam ipſo facto incurrant & retineatur eiſdem in diſtributionibus per diſtributorem, & Camerarium ad deſcribenda Capituli negocia deputatum, teneatur, & debeat appuntare non intereſſentes ſub eadem pœna, & Choriſtæ ſignificare. De Capitulo verò recedentes antequàm dimittatur, niſi obtenta licentia ab Archidiacono, ſeu Præſidente Capituli, voce actiua, & paſsiua careant menſe integro. A pauciori-

bus

bus octo ſuo loco & ordine ſedentibus negocia tranſigi, votorumq; fabæ reddi non poſsint, nec ipſæ fabæ alii ab alio abſente delegari, & ſinguli ſingulas tribuāt, & coopertas, vt non videantur: Miniſtri vrnarum ſimiliter eas clauſa manu recipiant, & abſconditas mittānt in vrnam. Qui diſcopertam dederit, aut coopertam accipiens manifeſtauerit, octo dierum diſtributionibus pro qualibet vice condemnatus exiſtat, ſinealia declaratione à Capitulo facienda.

In ſingulis rogationibus hoc eſt partitis votorum vrnæ coram Archidiacono, & eo abſente coram Præſidente Capituli coram omnibus exhibeantur albæ, & nigræ ſeorſum, numerentur & manifeſtentur.

Si Archidiaconus interfuerit, ſolus proponendi habeat facultatem, & eo abſente, Præſidens Capituli. Verùm ſiquid forte contigerit, quod Canonicis, ſeu cuiuis eorum proponendum maximè videatur. Archidiaconus rogatus illud proponere, & Capituli vota præſcrutari teneatur, ſed ſi illud proponere recuſet Archidiaconus, Archipresbitero & eo nolente, aliis dignitatibus, & ſucceſsiuè antiquiori Canonico ſit relictus proponendi locus, & omnis data facultas.

Sententiæ primùm rogentur in vocem ſigillatim ab antiquioribus procedendo, deinde ad partitum veniatur. Clericus maior vrnam circumferens fabas colligat; Omnia firma, & rata ſancientes, quæ obtenta fuerint, duabus partibus conſentientibus tripartiti Capituli, præterquàm in illis rogationibus, de quibus aliter in ſpecie diſponeretur.

Decla-

Declarantes, quòd ſententia bis propoſita, nec per duas votorum partes obtenta, ea die vlterius proponi non poſsit. Si vero duabus aliis cõgregationibus poſt primam congregationem non præualuerit, de ea amplius nulla habeatur mentio, niſi anno elapſo. Omnis autem, de cuius intereſſe tractari contigerit, etiam ſi de Capitulo fuerit, dum ſententiæ rogantur, & vota redduntur, præſens non interſit.

Hortamur igitur, & monemus omnes, & ſingulos, qui hac veniunt appellatione, vt pacificè, & concorditer in Capitulo agant, quæ agenda ſunt, nullo peruerſo animi affectu permoti, ſed ſolum ob oculos Dei honorẽ, & Eccleſiæ noſtræ Decus, & Sacerdotii dignitatem habentes. Quod ſiquid (quod Deus auertat) iniuriosè, & cum rixa per aliquem dictum, factum, illatumuè fuerit in collegio congregato, Capituli arbitrio puniatur, & præter punitionem, vocẽ etiam amittat duobus menſibus.

De Reſidentia Capituli. Cap. 3.

DIgnum, ac ſanè congruum eſſet pro dignitate Capituli noſtri, ac diligenti ſcripturarum aſſeruatione, & cuſtodia eiuſdem, ædificare manſionem aliquam, & locum, in quem nemo ingredi poſſet, nec vſui alii deſtinatus eſſet, quàm pro rebus, & negociis Capituli pertractandis. Idcirco ſancimus Domum exiſtentem in clauſtro inferiori canonicæ propè ſcalas quàm primùm nobis facultas ſuppeditabitur, inſtaurandã, & reſarciendã eſſe pro ipſius Capituli reſidentia facienda.

De

De modo, nomine, & ordine ſuper Præbendis conſtituendo.
Cap. 4.

CVm Tridentini Concilii decreto ſancitum ſit, vt ſingulis canonicatibus, & præbendis ordo ſacer diſtinctus ſit conſtitutus, id quod etiam antiqua cõſtitutione Eccleſiæ noſtræ cautum reperiatur. Decernimus, & poſthac primæ quatuor Præbendæ, inferius in ordine deſcriptæ, vltra quatuor Dignitates, quas nemo vnquàm obtinere poſsit, niſi ſit ſacerdos, non conferantur niſi perſonis, in ordine Præsbiteratus conſtitutis. Quatuor verò aliæ Præbendæ ſequentes, habeant ſemper annexum ordinem Diaconi, adeò vt qui ad illum ordinem non eſt promotus, eaſdem obtinere nullo modo valeat. Reliquas autem præbendas omnes in ſubdiaconatus ordine conſtitutis conferri poſſe decernimus, adeò vt prima, ſecunda, tertia, & quarta præbenda ordinem præsbiteratus, quinta, ſexta, ſeptima, & octaua ordinem Diaconatus, nona, decima, vndecima, & duodecima ordinem ſubdiaconatus perpetuò annexum habeat. Atq; ideò is, qui de Canonicatu, Præbenda poſthac prouidebitur, cui ordo ſacer annexus ſit, eo ordine ſit initiatus, quem Canonicatus & Præbenda requirit, vel ſaltem in ea ætate ſit conſtitutus vt ad ordinem annexum promoueri poſsit. Iſq; non infra annum, vt veteri conſtitutione ſancitur, ſed primis ſacrorum ordinationum generalium temporibus, omninò promoueatur. Aliàs fructus Præbendæ non faciat ſuos, ſed Capitulo applicentur in commu-

nes

nes vſus conuertendos, donec annexum ordinem ſuſceperit: At ſi illum ſuſcipere vltra annum diſtulerit, Canonicatu, & Præbenda prædictis elapſo anno ſe omnino ipſo iure priuatum nouerit ſine ſpe amplius obtinendi.

Nomina vero ſingularum præbendarum, & quem ordinem annexum habeant, infra ſtatim ſubiicitur.

Prima Dignitas Archidiaconatus, quam obtinet D. Nicolaus Seruidius, ordinem præsbiteratus cum aliis tribus Dignitatibus perpetuò annexum habet.

Secunda Dignitas Archipresbiteratus eſt D. Iulii Inghiramii.

Decanatum poſsidet D. Antonius Babbius.

Præpoſitus eſt D. Segherius Segherius I. V. D.

Prima Præbenda Sancti Io. Baptiſtæ, nunc eſt D. Hieremiæ Rapucii, & eſt Præsbyteralis.

Præbenda Sancti Andreæ eſt D. Chriſtophori Barlettani eiuſdem ordinis.

Præbenda Sancti Pauli eſt D. Octauiani de Pichinenſibus cui ordo Sacerdotii eſt iniunctus.

Quarta Præbenda ſub titulo Sancti Michaelis, eſt D. Michaelis Contugii, & habet annexum ordinem Præsbiteratus.

Præbenda Sancti Iuſti eſt prima Diaconalis & eam obtinet D. Benedictus Bardinus.

Præbenda Sancti Petri eiuſdem diaconalis ordinis nunc eſt D. Gherardi Broccardi.

Præbenda Sancti Clementis tertia diaconalis eſt D. Franciſci Marchii.

Præbenda

Præbenda octaua Sancti Saluatoris de aqua viua, eſt etiam Diaconalis, & eam obtinet D. Ludouicus Burſellius.

Præbenda S. Laurentii de Quinto, cui eſt annexus ordo ſubdiaconatus eſt D. Bernardi de Phæis.

Præbenda S. Victoris ſecunda ſubdiaconalis, poſſidetur per D. Hieronymum Liſcium.

Præbenda S. Octauiani eiuſdem ordinis eſt D. Hieronymi Incontrii.

Præbenda vltima ſubdiaconalis ſub titulo S. Antonii detinetur per N.

De collatione Canonicatuum, Cappellaniarum, & Eccleſiarum ad Capitulum ſpectantium. Cap. 5.

CVm ab immemorabili tempore citrà ex antiquiſſima, approbata, & hactenus inconcuſsè obſeruata conſuetudine collatio, prouiſio, inſtitutio, & omnimoda diſpoſitio canonicatuum, Præbendarum, Cappellaniarum & Eccleſiarum etiam Parochialium, ſeu beneficiorum curatorum ſingulatim inferius deſcriptorum, ad Capitulum noſtrum ſpectare, & ſine controuerſia pertinere dignoſcatur. Vt poſthàc huiuſmodi ius conferendi à nobis, tàm ex forma ſacrorum canonum quàm iuxta decretorum Sacroſancti Tridentini Concilii, & bullarum Apoſtolicarum diſpoſitionem deſuper hactenus emanatarum legitimè exerceatur; Collationeſq; omnes, & inſtitutiones canonicæ, & iuridice fiant; Necnon abuſus omnes, qui hacte-

nus inualuerunt, de medio penitus tollantur.

Decernimus, & declaramus in primis Capitulo noſtro non licere Dignitatem Archidiaconatus, quæ eſt prima poſt Pontificalem, vllo modo conferre, nec de eadem quemq; prouidere, cũ ſit Apoſtolicæ Sedi ſemper reſeruata. Neq; vlterius liceat Capitulo in vacationibus per obitum dumtaxat in quibus eſt locus mẽſium reſeruationis conferre Canonicatus, Præbendas, Cappellanias, nec Eccleſias quaſcunq; ad diſpoſitionem noſtri Capituli pertinentes, niſi in quatuor tantum menſibus collatoribus ordinariis etiam inferioribus cõpetentibus videlicet Martii, Iunii, Septembris, atq; Decembris. In reliquis verò octo menſibus Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iulii, Auguſti, Octobris, & Nouembris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis. Tantum abeſt, vt Capitulum debeat omnino à quacunq; collatione ſe abſtinere, vt etiam ſi id non fecerit iure conferendi, quod habere prætendit, ſe ipſo facto perpetuò priuatum nouerit, prout Decreto in viſitatione auctoritate Apoſtolica facta quoq; ſancitum fuit, nullumq; ius aut titulum etiam coloratum prouiſis in mẽſibus reſeruatis prorſus acquiratur quemadmodum regulis Cancellariæ Apoſtolicæ expreſsè cauetur.

In vacationibus autem quibuſcunq; tàm per obitum, quàm per reſignationem, aut alio quouiſmodo canonicatuum, & cappellaniarum in menſibus ordinariis Capituli liceat Capitulo abſq; affixione alicuius edicti, niſi aliter expedire iudicauerit, dictas Præbendas, & Cappellanias conferre perſonis idoneis vita,

ta, moribus, & ætate ad Concilii Tridentini præſcriptum, & præuio examine Reuerendiſsimi Ordinarii aut eius Vicarii Generalis, & non antea nullo modo.

In vacationibus verò Parochialium Eccleſiarum, quibus animarum cura incumbit, ſeruetur diſpoſitio Tridentini Concilii de examine in concurſu faciendo & Bullæ Fel. Rec. Pii Papæ Quinti ſuper collatione Parochialium. Quod quidem examen præuio edicto per ordinarium decernendo per examinatores in Diœceſana Synodo deputatos coràm eodem ordinario fieri debeat, iuxta decretum Concilii ad hoc; vt magis idoneo, & per ordinariũ approbato Capitulum ipſum valeat conferre, & litteras collationis ſeu prouiſionis de more conficere & integraliter expedire.

In vacationibus verò, tam Præbendarum, quàm Cappellaniarum & Eccleſiarum parochialium, quæ ſunt iuris patronatus non eſt ſeruanda forma concurſus, ſed per Capitulum ædictum affigendum iuxta ſacrorum canonum ſanctiones, vt præuio ſemper examine per ordinarium faciendo inſtitutio legitima per Capitulum ſubſequatur. Quicquid hactenus ex veteribus conſtitutionibus capitularibus pro Taxa ab eo, qui dignitatẽ Canonicatum, Cappellam, Eccleſiamuè obtinebat, in admiſsione ad eiuſdem poſſeſsionem per ſoluendũ erat, & quicquid à nobis pro augumẽto Taxarũ prædictarũ infra præfinitum, ac cõſtitutum eſt, inter Canonicos poſthac non diuidatur vt decreto viſitationis Apoſtolicæ quoq; cauetur; Sed Diſtributori perſoluatur, ante adeptam poſſeſsionẽ, & in commu-

nes vſus conuertatur.

Præbendæ, Eccleſiæ, & Cappellæ, quæ ad collationem Capituli pertinent, & ſingularum taxa eſt infraſcripta videlicet.

Archidiaconatus prima Dignitas Sum. Pont. reſeruata ſoluat pro taxa libras.	Quatuordecim.
Archipræsbyteratus libras.	Duodecim.
Decanatus libras.	Octo.
Præpoſitura libras.	Quatuordecim.
Præbenda S. Petri libras.	Duodecim.
Præbenda S. Ioan. & Andreæ lib.	Duodecim.
Præbenda S. Ioan. Baptiſtæ lib.	Duodecim.
Præbenda S. Michaelis lib.	Duodecim.
Præbenda S. Pauli lib.	Decem.
Præbenda S. Victoris de Monte Miccioli lib.	Decem.
Præbenda S. Octauiani lib.	Decem.
Præbenda S. Laurentii de Quinto lib.	Quatuor.
Præbenda S. Iuſti lib.	Quatuor.
Præbenda S. Clementis lib.	Quatuor.
Præbenda S. Antonii lib.	Quatuor.
Præbenda S. Saluatoris de Aqua viua lib.	Sex.
Eccleſia de Cedri lib.	Viginti.
Plebs de Villa magna lib.	Quadraginta duas.
Plebs de Nigra cũ Eccl. de Cozzano l.	Quadraginta.
Plebs de Paratino in mattina lib.	Viginti.
Plebs ſeu Eccleſia da Laſciano Comitatus Senarum lib.	Quadraginta.
Eccleſia S. Aghatæ de Guardiſtallo lib.	Viginti octo.
Eccleſia S. Alexandri extra mænia lib.	Octo.

Eccleſia S. Martini de Monte Rodulpho lib. Sex.
Eccleſia S. Luciæ de Schetò lib. Octo.
Eccleſia S. Laurentii de Mazzolla, hodie eſt annexa Epiſcopali menſæ.
Eccleſia S. Petri de Fatagliano lib. Duas.
Eccleſia de Fiuli eſt vnita menſæ Capitulari.
Eccleſia S. Martini de Roncolla lib. Septem.
Eccleſia de Riparbella lib. Octo.
Eccleſia de Corbano lib. Sex.
Eccleſia de Fugnano & Bibbiano lib. Octo.
Eccleſia de Monteſe, & Vicarello lib. Octo.
Eccleſia de Culuzzone, & Cauellari lib. Octo.
Plebs S. Ioannis de Vulterris non confertur amplius in titulum.
Cappella S. Vgonis in maiori Eccleſia lib. Quatuor.
Cappella S. Galgani lib. Quatuor.
Cappella S. Chriſtophori lib. Sex.
Cappella S. Octauiani cum S. Bartholomeo de Belfortibus lib. Duodecim.
Cappella S. Luciæ lib. Quatuordecim.
Capp. S. Blaſii & Chriſtophori de Belfortibus l. Duas.
Cappella S. Antonii, Pauli, & Lini lib. Duas.
Cappella S. Seruatoris lib. Quatuordecim.
Cappella S. Donati lib. Vnam.
Cappella S. Mariæ Magdalenæ lib. Duas.
Cappella S. Antonii de Monutiis lib. Sex.
Cappella S. Mariæ ad Niues lib. Vnam.
Cappella S. Apolloniæ lib. Octo.
Cappella Crucifixi lib. Octo.

Cappella

Cappella S. Ceciliæ lib. Duas.
Cappella S. Bartholomei de Belfortibus cum titulo S. Octauiani lib. Duas.
Cappella S. Hieronimi de Iuniis lib. Quatuordecim.
Cappella S. Hieronimi de fortis lib. Sex.
Cappella Annuntiatæ de Chelinis l. Quatuordecim.
Cappella S. Victoris lib. Quatuordecim.
Cappella S. Catherinæ lib. Quatuor.
Cappella S. Michaelis de Caſato lib. Viginti.
Cappella S. Franciſci lib. Octo.
Cappella D. Cardinalis de Soderinis lib. Octo.
Cappella S. Sebaſtiani lib. Quinque.
Cappella Annunciatæ Dominæ Goſtanzæ l. Decem.
Cappella S. Gherardi lib. Octo.
Cappella S. Marii lib. Octo.
Cappella S. Bartholomei de Colainis l. Viginti octo.
Cappella S. Iuliani lib. Tres.
Cappella S. Iacobi lib. Decem.
Cappella S. Annæ lib. Quatuordecim.
Cappella S. Petri martiris lib. Duodecim.
Cappella Vir. Mar. de Barbialla l. Quadraginta duas.
Cappella Conceptionis Virginis Mariæ lib. Octo.
Oratoriũ S. Octauiani vltra Eram hodie eſt annexum menſæ Capitulari.
Eccleſia S. Petri de Vlignano lib. Viginti.
Eccleſia S. Fabiani de Fibbiano lib. Octo.
Eccleſia S. Iacobi de Caſtagneto lib. Duodecim.
Eccleſia S. Laurentii de Treſchi lib. Decem.
Eccleſia S. Martini de Camporbiano lib. Sexdecim.

Eccleſia de Monte Piſcino lib. Sexdecim.
Eccleſia de Mummialla lib. Duodecim.

De Iuramento præſtando per nouos Canonicos, Rectores, & Cappellanos. Cap. 6.

NEminem præſentatum, electum, aut nominatum prius admittat, aut inſtituat Capitulum quàm tactis ſacroſanctis Dei Euangeliis infraſcriptum iuſiurandum præſtiterint, vt Quarti & Quinti Piorum Sum. Pont. conſtitutionibus cauetur.

Forma Iuramenti.

EGo N. præſentatus, electus, vel nominatus ad Canonicatum, Cappellaniam, vel Beneficium Eccleſiaſticum N. iuro per ſancta Dei Euangelia quæ manibus meis tango, neq; me obtinendi beneficii cauſa, aut ad id præſentarer, nominarer, vel eligerer, neq; quemquàm alium meo nomine, aut me conſentiente, vel ſciente quicquid patrono, ſeu alii cuipiam, ea de cauſa promiſiſſe, dediſſe, aut compenſaſſe, vel apud quẽquam depoſuiſſe neq; mutuò dediſſe, vel prius mutuũ datum comodatum, aut quocunq; modo debitum remiſiſſe, aut relaxaſſe, neq; de domibus, terris, prædiis, redditibus, & eius beneficii fructibus, ac decimis, ſeu oblationibus eiuſdem præteritis, præſentibus, aut futuris, donationem, remiſsionem, locationemuè feciſſe, promiſiſſe, aut innuiſſe, aut alium mandante, vel con-

conſentiente me promiſiſſe. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Decernimus etiam quod quilibet, ſiue dignitas ſit, ſiue Canonicus, ſiue Cappellanus denuò receptus antequam poſſeſsionem accipiat, iuret ſe inuiolabiliter obſeruaturum omnes Eccleſiæ noſtræ conſtitutiones hactenus factas, & pro tempore faciendas cæteraſq; laudabiles conſuetudines: Quod Iuramentum præſtari volumus, & mandamus in manibus Archidiaconi, vel eo abſente in manibus Præſidentis Capituli: At ſi poſſeſsio per Procuratorem petatur, Iuramentum nihilominus per Procuratores præſtari volumus modo ſpeciale mandatũ habeant, alias in noſtra Eccleſia nullatenus recipiatur, & poſſeſsio illi penitus denegetur. Declarantes has conſtitutiones neminẽ obligare ad periurium, ſeu ad mortale peccatũ, dummodò tranſgredientes ſoluant pœnas in eis contentas, niſi conſtitutio ipſa, quæ non ſeruata fuerit vltra aliam pœnam, quæ conſtituta eſt etiam periurii reatum incurrere declaret, ac ſtatuat non ſeruantes.

De Profeſsione fidei per Canonicos emittenda. *Cap. 7.*

ADſciti ad Dignitates, & Canonicatus fidei profeſſionẽ facere teneantur in Capitulo in manibus Archidiaconi, vel eius abſente in manibus Præſidentis Capituli ad minus infra duos menſes à die adeptæ poſſeſsionis, alioquin omnes ſupradicti fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſsio ſuffragetur: Huiuſmodi

autem fidei profeſsio in librum ad hunc vſum tantum comparatum vnà cum profitentis ſubſcriptione per illam dignitatem, vel antiquiorem Canonicũ, quem ipſum recipere contigerit, omnino ſtatim redigatur, & in Capituli Archiuio diligenter ad perpetuã memoriã aſſeruetur. Vt autem conſtitutio Fel. Rec. Pii Papæ Quarti ad vnguem exactiſsimè ſeruetur, & ne vllo vnquàm tempore ignorantia allegari poſsit præſcriptam formulam profeſsionis fidei inſerendam eſſe decreuimus, cuius tenor talis eſt, videlicet.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ in ſymbolo fidei continentur, videlicet.

Credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo lumen de lumine Deum verum de Deo vero. Genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtrã ſalutem deſcendit de Cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Et iterũ venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre filioq; procedit. Qui cum Patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur,

catur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sãcta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de verò ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum admitto, nec eam vnquàm niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoq; ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta atq; ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria Sanctum Baptiſmum, Confirmatiõnem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, & extremã Vnctionem, Ordinem Sacrum, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

Receptos quoq;, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt amplector, & recipio.

Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium, pro viuis, & de

functis, atq; in Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtãtialiter corpus, & ſanguinem, vnà cũ anima & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, fieriq; conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentũ ſummi, cõſtanter fateor purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragiis iuuari, ſimiliter & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atq; inuocandos eſſe eoſq; orationes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias eſſe venerandas.

Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem & venerationem adhibendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtrã agnoſco, Romanoq; Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, & iuro.

De Pluuialibus, ſeu alijs ornamentis per nouos Canonicos faciendis. Cap. 8.

IN antiquis noſtræ Eccleſiæ conſtitutionibus decretum erat, quod quilibet nouus Canonicus illicò receptus, Sacriſtiæ noſtræ perſolueret florenos duodecim ad rationem librarum quatuor pro quolibet floreno, quæ pecuniæ in vtilitatem & ornamenta dictæ Sacriſtiæ fuerant conuertendæ, prout neceſsitas expoſcere videbatur. Nos igitur hanc antiquorum noſtrorũ conſtitutionem inanimes confirmantes, & approbantes eandem prorſus innouamus, & perpetuò inuiolabiliter obſeruandam decernimus, atq; mandamus, vt nullus Canonicus poſthàc ad dignitatem, vel Canoniam denuo in Eccleſia noſtra recipiatur, neq; admittatur, niſi prius, & ante omnia ſoluerit realiter, & cum effectu dictos florenos duodecim, de libris quatuor, pro Pluuiale emendo. Siquis verò in mora fuerit, vel ſoluere diſtulerit, ad poſſeſsionem dignitatis, vel Canonicatus, non admittatur, neć vt Canonicus vllo modo tractetur quacunq; collatione vel prouiſione ſibi minime ſuffragante.

De optandis præbendis. Cap. 9.

ANtiqua conſtitu tione Eccleſiæ noſtræ cautum reperitur, & hactenus laudabili conſuetudine obſeruatum exiſtit, vt antiquior Canonicus gradatim, ſi voluerit, poſsit meliores optare præbendas; Id quod à

iure

iure tãquam legitimè factum ſubſtinetur. Quare eandem conſtitutionem innouantes decernimus optionẽ præbendarum fieri debere, in menſibus duntaxat ordinariis competentibus, in reſeruatis verò Sedi Apoſtolicæ nequaquam, & ſecunda die poſt obitum Canonici, cuius Præbenda vacauerit, vt qui extra vrbem ſunt comodius, & ſine alia Capituli intimatione redire queant; Optionis autem ordo hic erit, ſecunda (vt diximus) die conuocato Capitulo Canonicus ordine antiquior priorem habeat, ſi voluerit, optandi facultatem, quod ſi noluerit, optio fiat à Canonico ordine gradatim ſubſequente, vſq; ad nouiſsimum: Si verò nullus optare voluerit, tunc præbenda vacans conferatur per Capitulum. Sed vbi quis optauerit vacantem præbendam, tunc eam, quam ipſe reliquit etiam optandam proponi volumus, modo ſupraſcripto, nam quot quot præbendas vacari, aut optari contigerit, totidem optandas iterum proponi declaramus, & quilibet Canonicus qui optauerit ſemper, & pro qualibet vice, & pro quacunq; optione teneatur ſoluere taxam, vt ſupra præfinitam, & conſtitutam. Hoc expreſsè addentes, quòd nemini ex Canonicis per Procuratorem, ſed tantummodo intereſſentibus perſonaliter & dummodo per annum integrum Eccleſiæ deſeruierint à die ſui Canonicatus, præbendæ & vocis in Capitulo poſſeſsione, optare liceat, aliàs ab huiuſmodi facultate penitus excluſi intelligantur.

De Præbendis omnibus in Codice deſcribendis vnà cum bonis Capituli & Sacriſtiæ. Cap. 10.

NE Præbendæ Canonicatuum, & Cappellaniarum Eccleſiæ noſtræ, & bona immobilia omnium beneficiorum ad Capitulum ſpectantium, lapſu temporis, in quandam, vt ſæpe fit, obſcuritatem, ac dubium veniant, & ne illarũ notitia ſeneſcens pœnè depereat: Mandamus Præbendas ipſas cum ſuis veris, & modernis terminis, & confinibus, deſcribi in Codicem, cataſtum nuncupatum in carta pecudina. Vbi etiam deſcribantur onera, & grauamina, quæ à ſuis fundatoribus inſtituta ſunt, & quæ Cappellaniæ ſint liberæ collationis Capituli, & quæ iuris patronatus exprimantur nomina, & cognomina Patronorum, & Cappellaniarum. Qui liber ſeu cataſtus cum omnibus aliis ſcripturis, libris, priuilegiis, & iuribus dicti Capituli retineatur in capſa ad hoc ſpecialiter deputata duabus ſeris clauſa, & vna ipſarum clauium retineat Archidiaconus, & eo abſente, Archipresbiter ſeu antiquior Canonicus, non exiſtentibus Dignitatibus, & alteram qui erit pro tempore Camerarius, & de omnibus in Capſa prædicta aſſeruandis fiat inuentarium quod ſingulis annis reſcontretur, & coràm Capitulo totum perlegatur.

De habitu, & Tonſura. Cap. 11.

SEd quoniam habitus plerumq; mores, mentemq; hominis, atq; ingenium indicat, homines enim non

tantùm

tantùm de facie, vt dicitur, ſed etiam de veſtibus iudicari, atq; æſtimari ſolent. Proinde nefas eſt Sacerdotes prodire, perinde ac ſæculi milites, amictos, ſeu more fœminarũ comptos, ſed neq; etiam pannoſos, aut laceros, obſitoſq;, propterea quòd, nec affectatæ ſordis nec exquiſitæ munditiæ ſacris hominibus conueniunt. Sit igitur habitus tùm Canonicorum cùm Cappellanorum ſimilis, hoc eſt cultus exterior ſine cultu modeſtus, & grauis, ſint abraſo vertice omnes, ſuper quo nõ pilei turbinati, aut itinerarii, ſed birreta clericalia in Eccleſia ſemper deferantur, ſint demiſſæ vſq; ad talum veſtes, ſint calcei, ſeu crepidæ caligæq;, in quibus non faſtus aut iactantiæ, aut elationis vitium, ſeu mentis leuitas, ſed clericalis honeſtas cum grauitate & modeſtia deprahendatur. Chorum vero Canonicis & Dignitatibus ſemper ingredientibus, atq; in Proceſsionibus, & funeralibus, ſint cottæ lineæ candidæ, mũdæq;, nõ penitus laceratæ, ſeu attritæ ſordenteſq; cum guſis, ſeu Almutiis, de vaiis ſuper humeros, excepto Archidiacono, qui nõ mozzetta, vt dicitur, ſed Almutio ſeu Caputeo ſuper humeros extenſo inſtar Prothonotariorum ſemper ornetur, atq; illud geſtare debeat, prout hactenus conſuetum fuit, Cappellani vero, & alii Eccleſiæ noſtræ inſeruientes dum diuina celebrantur, etiam ſingulis diebus ferialibus quibuſcunq; horis, exceptis matutinis, & completoriis interſint, cotta cum Almutio, ſeu caputio laneo nigro ſuper ſiniſtro humero, vel bradio decenter impoſito ſemper vtantur, præter quàm à Fer. V. in Cœna Domini vſq; ad gloria in

excelſis

excelſis in miſſa ſabati Sancti. Qui contrafecerit, ſiue Canonicus ſiue Cappellanus non ſolùm careat diſtributionibus illius diei, ſed etiam de proprio in ſolidis decem diebus feſtiuis, ferialibus vero in ſolidis quinq; per Choriſtam punctetur.

De nouorum Officialium creatione. Cap. 12.

EX Officialibus, à quibus res noſtræ gubernari debent, Camerarium vnum; alterum Dominum de Cura, & ſuffragiorum ſcriptorem, qui ſemper de numero Canonicorum eſſe debent, necnon qui de Cappellanorum Diſtributorem, Sacriſtam, & Chori Magiſtrum annuos fore, annuatimq; in die Veneris ſecundæ hebdomadæ menſis Decembris officium Cal. Ianuarii inituros, hoc modo creari debere ſtatuimus, videlicet. Poſtquam legitimè Capitulum congregatum fuerit, auxiliumq; Dei inuocatum, lecta alta voce hac conſtitutione ſtatuimus, vt pro vno quoq; officio ab Archidiacono, & Dignitatibus ſingulis ſinguli denominetur, ſed abſente Archidiacono vel Dignitatibus, aut eorum altera ius nominandi ſit Canonici, vel Canonicorum gradatim ordine antiquiori. Qui ſic nominati deinceps ſigillatim ad ſuffragia, & nemo alius proponatur, vrnaq; votorum more ſolito coràm Archidiacono exponatur, & qui in votis præualuerint, hoc eſt, qui plura ſuffragia obtinuerint, pro eo officio habeantur, ſed votorũ parium iterum ad ſuffragia pro ponantur, & quod de Camerario nominando dicitur,

hoc

hoc etiam de cœteris officialibus dictum, decretumq; intelligi volumus. Inhibentes prorſus ne quiſpiam eligi vel aſſumi valeat ad duo ſimul officia exercenda, quæ interſe incompatibilia eſſe decernimus.

Declarantes inſuper infraſcriptos non poſſe ad officia nominari, videlicet qui Capitulo cuiuſlibet officii ab eo aliàs adminiſtrati integram rationem non reddiderint, aut ſatisfecerint, ſiue qui pro malè geſtis in eo multati aut quomodolibet condennati remanſerint, Capituli debitores vltra ſummam librarum decem. Finito anno poſito officio vacent omnes ab eodem annos duos, poſsint tamen Sacriſtia, Diſtributor, & Choriſta ad beneplacitum Capituli, ſemper confirmari dummodo ſingulis annis, vt præfertur, denominentur, & præualeant in ſuffragiis modo ſupraſcripto, Præſentibus ad officium electis, officium ipſum abdicandi infra quatuor dies ius liberum ſit, Abſentibus verò, & ægrotantibus, terminus ſit octo dierũ, ſpacium ſed electi ad officia, niſi eo ipſo ſpacio venerint ſaltem per nuncios, tacitè abdicaſſe intelligantur, & pro officii abdicatione vacent, ab officio illo abdicato annos duos, & alii modo prædicto ſubrogentur, poſt quem dierum numerum, ſiquis ſe inuito Capitulo abdicauerit tribus annis ad omnia officia inhabilis ſit, & alius aſſumatur, qui pro eo officio ad vacationem aliter nõ teneatur. Sic creati officiales iurent ſinguli ſe ſedulò, & iuxta ſanctionum noſtrarum diſpoſitionem officia executuros, Sed Diſtributor infra octo dierum ſpaciũ poſt acceptationem fideiuſſorem idoneum, qui non

ſit ex noſtra Eccleſia, & à Capitulo approbandum præſtare teneatur, aliàs priuatus officio remaneat, & vacatione illius officii ſubiiſſe intelligatur. Declarantes ſub appellatione Cappellanorum in præſenti conſtitutione nominatorum, etiam venire ipſorum Cappellanorum ſubſtitutos Eccleſiæ noſtræ deſeruientes.

De officio Camerarij. *Cap. 13.*

SIngulis annis de menſe Decembris, vt ſupra in Capitulo de officialium creatione dicitur, Camerarius vnus ex quatuor Canonicis à Dignitatibus nominatis ad partitum de more mittatur, & qui iuxta formam in ſuffragiis obtinuerit, per annum Camerarius eſto. Qui officium acceptans mandato per Notarium à Capitulo habito cum poteſtate ſubſtituendi iuramentum præſtare debeat ſe fideliter, & accuratè adminiſtratione defunctorum. Cuius prima cura ſit librorum omnium contractuum ſcripturarumq; Archiuii noſtri regiſtra, ſeu inuentaria recenſere, & ſi opus fuerit, reficere.

Librumq; inuentariorum, tàm ſcripturarum, quàm ſupellectilium ſacriſtiæ renouare, atq; addita addere, & quæ ſunt conſumpta delere.

Curet inſuper vt conſtitutiones, & partita ſeruentur, & quòd pœnæ contumacium perſoluantur.

Nec non vt fructus, redditus, prouentus, & oblationes, omnes diſtributori fideliter aſsignentur cui ita præſit, vt nihil illo inſcio, ab eo pænitus fieri poſsit.

De-

Declarantes hoc tam ſpecialiter & expreſsè quòd Camerarius nullo modo poſsit exigere nec penes ſe habere, aut quouis quæſito colore tenere pecunias, frumentum, ceram, & redditus vllos, aut eorum partem etiam minimam noſtri Capituli. Volumus enim hæc omnia ad manus ſolius Diſtributoris venire, & ab eo fideliter cuſtodiri, vt in Capitulo de eius officio continetur.

Lites omnes præterea Camerarius ſolus per Notarium, & Procuratores alios, ſi oportuerit, incipiat, proſequatur, & exequatur cum plena, & libera poteſtate litigandi, procurandi, & agitandi, in quibuſcunq; cauſis minoribus, & maioribus, ad Capitulum noſtrum quomodolibet ſpectantibus, & pertinentibus, præuio tamen Capituli conſenſu, ac licentia in extraordinariis.

Contractus affictuum, quorum intereſt, & locationes omnes hactenus fieri ſolitas omnium bonorũ Capituli ad triennium duntaxat, & non vltra ſolus Camerarius conficiat, & ſtipuletur, habito ſemper reſpectu ad vtilitatẽ Capituli, cuius conſenſus debeat prius tamen requirere. Declarantes nihilominus, alienationes Emphyteoſes, ſiue liuella, & locationes fieri nõ ſolitas, ſiue ad longum tempus, ac perpetuas, ſiue ad vitam fieri non poſſe, niſi de conſenſu Capituli licentiã concedentis vel ſaltem conſentientis, & ratificantis.

Debeat ſubſcribere omnes cedulas, ſeu apodixas per Diſtributorem ſoluendas.

Finito anno intra menſem duobus Canonicis à Ca-

pitulo eligendis, conferat ſuæ rationem admiſtrationis ſub cenſura Capituli.

Qui Camerarius pro ſuo labore conſequatur duntaxat libras quatuordecim & poſsit in officio, ſi Capitulo placuerit, confirmari.

De officio Domini de Cura. Cap. 14.

CAnonici, qui dominus de Cura nuncupatur, electi vt ſupra in Capitulo de officialium creatione diſponitur prima cura ſit cum Archidiacono, & eo abſente cum Archipresbytero, & ſucceſsiuè vnà cum antiquiori Canonico, omnia quæ diuino cultui opportuna ſunt, prouidere curareq; vt Ebdomadarii, Cantores, cœteriq; miniſtri omnes in Choro ſuo officio perfungantur miſſarum, & diuinorum officiorum tabulas à Choriſta confectas, prout opus fuerit reuidere & reformare. Inuigilet præterea vt ad animas noſtræ Parochiæ deputati diligētiſsimè curæ ſuæ incumbant, vt confeſsiones audiant, & reliqua ſacramenta miniſtrent, vt diuinorum officiorum ordo ſeruetur, necnon vt Sacriſta, & Choriſta, qua debent fide, diligentia & cura in officiis ſuis procedant.

De Canonico deputato ad actiones, & deliberationes Capituli deſcribendas. Cap. 15.

VT autem clarior, & expreſsior cunctarum actionum noſtri Capituli deliberationum habeatur memoria,

moria, & in promptu, cum opus fuerit, ſemper appa-reat; decernimus, vt Canonicus ad hoc deputatus, quæ cunq; à Capitulo per ſuffragia deliberantur in Codicem ad hoc comparatum coniiciat. Quod vt fidelius efficiatur, ſtatuimus vt ſtatim de qua vis re votis redditis in Diario, quod ſecum habeat in hunc vſum particulariter inſcribat, quod actum, & deliberatum ſit diſtinctè, & explicitè atq; anteq̃ dimittatur Capitulum clara voce legere teneatur, vt ſi in aliquo defecerit ſup pleat. Ex Diario deinde ſine verborum illorum, aut ſenſus mutatione fideliter in Codicem transferat per numeros notando deliberationes, ſi quæ ab hoc præſcripto retexerit, pro qualibet vice illius diei integrè careat diſtributionibus, & pro ſuo labore conſequatur libras quatuordecim.

De Choriſtæ officio. Cap. 16.

CHoriſtà, quem ſemper de numero Cappellanorum eſſe volumus, præſtito prius Iuramento, conſtitutiones, & decreta ſeruandi in his quæ ad eius ſpectant officium, ſuper libro ad hoc deputato, fideliter & diſtinctè nomina omnium, & ſingulorum Dignitatum, Canonicorum, & Cappellanorum, & ſubſtitutorum deſeruientiũ, eorumq; in Choro per rotuli adhibitio nem, præſentias, & abſentias notet, & amictat, prout in præſentibus ſanctionibus, & ſpecialiter in capite de punctis continetur. Currenteſq; cuiuſcunq; Ebdomadæ Ebdomadarios Canonicos, & Cappellanos pro-

pter

pter diſtributionum augumentum ſpeculetur, atq; ini bi quieſcentes. Prima die ſingulorum menſium quod quiſq; noſtrum menſe exacto lucratus fuerit appuncta turis, & pœnis detractis per ſchedulam primo in ſacro aditu appenſam palàm faciat, qua deinde diſtributori tradita, & per Camerarium ſubſcripta vnicuiq; congruentes diſtributiones ſolui poſsint.

Sciat inſuper ſe Camerario & Domino de Cura fore ſubiectum, vt ſi ambo concorditer ei aliquid iniunxerint, tam circa admiſsiones, & mulctas quàm ad cœtera quæ Eccleſiæ noſtræ ordinem diuinumq; cultum reſpiciunt, dummodo non ſint contra conſtitutiones. Nullum tamen ius habeat in Canonicos niſi in Choro ſtatutis terminis intereſſentes admittendis.

Is inter Cappellanos locum digniorem obtineat, qui ſi aliquando abeſſe contigerit de licentia Capituli alteri vices ſuas valeat delegare.

Ad eum ſpectet vniuerſi Chori cura, vt videlicet tẽ poribus ſtatutis terminetur, campanarum ſonus, libri parentur, præces inchoentur horariæ, ceremoniæ ſolitæ obſeruentur, & cærei ſuo tempore accendantur.

Super Cappellanos ſubſtitutos, & Clericos omnes in Choro ſit illi plena, & omnimoda auctoritas corrigendi, monendi, atq; omnia ſeruari faciendi, quæ in capite de Chori obſeruantia dicuntur. Delinquentes ipſos pro qualibet vice deliquerint, non admittentes, quod ſi delictum id fuerit, quod videatur maiori pœna mulctandum, referat ad Capitulum. Prætereà curet quotidiè in fine Completorii quod ii, qui eodem

die

die Euangelium, & Epiſtolam decantauerint, vterq; ſed in diebus feſtiuis, in aliis verò Epiſtolarius tantum populum aqua ſancta aſpergat, alioquim contumaces ad illam horam non admittantur.

Illi quoque in duplum quàm lucrati fuiſſent in Eccleſia noſtra ab eo puncto notentur, qui extra eam diebus feſtis in aliis Eccleſiis, exceptis iis, qui parochiales proprias obtinent, quodlibet diuinū obſequium præſtare præſumpſerit.

Vno quoq; ſemeſtri ſanctorum tabulam diuini officii ordinem ſingulis diebus obſeruandum, cum feſtorum diffinitionibus, & differentiis folio componat, & in ſacriſtiæ loco ſolito appendat.

Poſsit præterea pro libitu à maiori miſſa aliquando interdum à veſperis, ſeu matutinis, horiſq; aliis diſcretè tamen, & raro licentiam vrgente neceſsitate petenti concedere, nec puncto ſic abſentes notare, totq; etiam admittere ad earum quamlibet dummodo diem totū non abſit, & Eccleſia incomodum non patiatur, tàm in hoc, quàm in admiſsione deſeruientium, punctiſq; delinquentibus infligendis, eius conſcientiam onerantes, contra eos præſertim Canonicos, & Cappellanos qui & ſi in Choro fuerint ſtatutis terminis, intermedio non enormiter abfuerint. Non liceat Choriſtæ oſtendere librum punctorum alicui, ſiue Canonico, ſiue Cappellano, excepto Camerario & Domino de Cura pœna vnius auri pro qualibet vice ſacriſtiæ applicandi.

Pro eius mercede laboris libræ ei noſtræ monetæ vi-

ginti octo à diſtributore ſoluantur, & medietas à Cappellanis erogetur, ac ſingulis annis abſentia dierum XV. potiatur ad eius libitum diebus interceptis, vel ſimul tota capienda qua durante lucretur, altero tamen in ſuo loco ſuffecto.

Siquis contra eum in his quæ ad executionem ſui pertinent officii iure vel iniuria inſurrexerit, aut quouis modo contumelioſus fuerit, vno menſe diſtributionibus vacet, & vlterius pro delicti menſura à Capitulo puniatur.

De Chori obſeruantia. Cap. 17.

VOlumus autem vt omnes in locis ſibi congruentibus maneant, deuotè pſallant, minimè dormitent, libellum nullum, neq; etiam breuiarium lectitent, ſed tantummodo his lectionibus occupentur, quæ in Choro leguntur, ſiue cantantur. Colloquiis omnibus, & mutuis confabulationibus omnino abſtineant. Ad antiphonas aliaq; à cantoribus inuitati, aſſurgant, & ad intonandum procedant in medium. Ad nomen Ieſu Chriſti genua cordis flectant, quod capitis inclinatione teſtetur. Eleuent ſe ad terminum, Gloria patri, Capitula, Hymnos, & orationes. Itidem ad Mariæ, Symeonis, & Zacheriæ cantica & ad Euangelium faciant, nec à præfatione, vſq; ad dominici corporis ſumptionem ſedere audeant. Qui in aliquo prædictorum deliquerit, illius horæ diſtributionibus careat, ſi ſit Canonicus, ſi verò Cappellanius à Choriſta ſolita mulcta vlterius.

vlterius notetur abſq; alia eſcuſationis cauſa, In aliis omnibus ſeruentur Eccleſiæ laudabiles cõſuetudines, ſeditiones autem, & clamores caueant, ne laycis ſcandalum excitetur.

Quibus officiis, quibuſuè terminis vnuſquiſq; Choro intereſſe debet. Cap. 18.

ARchidiaconus, Dignitates, & Canonici ab officio Virginis in totum, horiſq; Dominicis, exceptis veſperis cœterisq; completoriis, quæ in conſtitutione de Chori diſtributione apponuntur ceſſare poſsint. Aliis verò omnibus diuinis officiis intereſſe debeant, ſi diſtributiones conſequi volunt; Cappellani verò eorumq; ſubſtituti, illis omnibus nulla excepta pro qualibet propriam diſtributionem recepturi, prout in eorum conſtitutionibus continebitur.

Terminos autem, quibus omnes niſi interfuerint, pro abſentibus habebuntur, infraſcriptos ſtatuimus. Dignitatibus, & Canonicis primo puncto, in Matutinis, Veſperis, & Completorio, antequàm finiatur primus Pſalmus: ſecundo verò puncto in prædicto Matutino, Veſperis, & Completorio priuſquàm abſoluatur, Benedicamus Domino, comprehenſis quoque ſub eodem termino primi puncti. Veſperis etiam Sabbati Sancti in quibus item ſecundum erit a tergò punctum, quod in miſſa, in qua includuntur. In miſsis autem adſint pũctui primo ſi fuerint ſolemnes antequàm duplicatio introitus concludatur excepta miſſa feriæ

ſextæ maioris Hebdomadæ, in qua requiritur adeſſe in principio ſecundæ prophetiæ. At ſi dominicales fuerint, vel vt dicimus duplices interſint prius quàm abſoluatur vltimum Kirie, & in ferialibus anteq̃uàm incipiatur Epiſtola, niſi forte officium agatur mortuorum, tunc enim expedit intereſſe poſt nocturnum primum Oratione Dominicali non dum completa, Et cũ item mediæ decantantur Miſſæ, vt aliquando poſt reditum proceſsionalem, in iis namq; initium præfationis erit primus punctus, cæterùm puncto ſecundo in omnibus antedictis miſsis præſentes in fine illarum ſint prius quàm ſacerdos ab Altari diſcedat, exceptis ſolummodo quas populi appellamus, etenim poſt eas, quẽadmodum communiter in Quadrageſima, prædicari contingat, licet enim abire poſt eleuationem corporis & ſanguinis Domini, vbi vel in qua ſecundum conſiſtit punctum.

Cappellani verò, & ſubſtituti adeſſe debent in Matutinis, & Veſperis quando dicitur officium Virginis, in fra tres primos Virginis Pſalmos. Quando non dicitur in Matutinis adſint infra totum Inuitatorium. In Veſperis, & in ſingulis Dominicis horis feriarũ intra primum Pſalmum, quem terminum eis ſimiliter aſſignamus in Mortuorum miſsis vigilias habentibus, & in aliis omnibus repetitione introitus. Omnibus vero Canonicis, & Cappellanis primam Prophetiam in vigilia Penthecoſtes, qua quidem die non vnica miſſa amplius celebretur, ſed ſinguli iuxta tabulam obligati, & Eccleſiæ ritu celebrent. In die Sabbathi Sancti

qui cerei benedictioni non interfuerint, quorum careant diſtributione, lotioni pedum punctum ſit, Euangelium, & benedictionibus omnibus prima oratio: Cum vero dicuntur veſperæ mortuorum, qui vſq; ad dictarum finem non permanſerint, tanquam ſi etiam Veſperis antedictis non interfuiſſe habeantur.

Volumus autem quòd tam Canonici quã Cappellani ſedulò, & aſsiduè in Choro eſſe debeant, & permanere vſq; ad Sacerdotis ab Altari diſceſſum atq; vltimum horarũ finẽ. Siquis autẽ neceſsitate corporis, aut alio negocio, quod differri nequeat, à Choro diſceſſerit, quanto citius fieri poteſt, reuertatur, ita quòd interſit primæ finaliũ orationũ, tam in Matutinis, & Veſperis quàm in Miſsis. Qui verò primis pariter, & vltimis dictis terminis nõ adfuerint Dignitates, & Canonici nõ admittantur. Alii non ſolũ illius horæ, vel Miſſæ amittant diſtributiones, ſed etiam in tantundem à Choriſta mulctentur, præterquàm in miſsis pro mortuis in quibus Cappellanos cõtumaces non admittendos tantùm decernimus. Cappellanis nihilominus prohibentes eadẽ pœna ne diſcedant, niſi à Choriſta petita, & obtenta licentia. Quæ non pluribus, quàm duobus eodem tẽpore cõcedatur, niſi pro Eccleſiæ ſeruitio, & neceſsitate, & his etiã pro celebratione miſſarũ plures in ſacro aditu eſſe nõ poſſent, præter eos, qui fuerint ad altare, vno tantũ addito Canonico. Quod ſi qui citrà neceſsitatem ibi, aut in Eccleſia ſedendo, vel confabulando à Choro enormiter abfuerint, tanquam in agro dominico infructuoſi, & inabiter laborantes, etiam ſi in Cho

rum ad præfixos terminos reuertentur; Canonici tamen non admittantur, & Cappellani vlterius ſolita mulcta notentur; Illud enormiter interprætantes, ſi capto puncto (vt aiunt) diſcedentes præfationi non interfuerint, aut ſimili abſuerint ſpacio, in quo illorum, & Choriſtæ conſcientiam præſertim oneramus. Nullatenus permittentes, tàm Canonicorum, quam aliorũ; dum diuina celebrantur officia, cum cotta linea per Eccleſiæ deambulationem ſurſum, & deorſum diſcurſionem ſub pœna amiſsionis diſtributionũ illius diei.

In funeralibus, & proceſsionibus quibuſcunq; pro præſentibus habeantur, qui bini, & non turmatim clericis antecedentibus è porta noſtræ Eccleſiæ egredientur, & eodem ordine ad Eccleſiam reuertentur. Qui verò remanſerint, aut pro celebratione miſſarum, aut alio decenti ſeruitio admittantur ſi expediti cum cotta, & almutio redeuntes in eiuſdem Eccleſiæ porta ſuſceperint.

De præcedentia. *Cap. 19.*

ET nequid iurgii, aut diſſenſionis, de præcedentia oriatur, ordine antiquior, non ætate præcedat nullo habito diſcrimine, quem ordinem Præbenda annexum habeat, ſed qui prius Canonicatum adeptus fuerit, prior ſtallum in Choro, & locum habeat in Capitulo, & extrà, & ſubſtituto Cappellanus locum digniorem ſemper habere decernimus, Hebdomadario, cantoribuſq; in Choro tantùm ſedendo poſt habitis, &

extrà

extrà Chorum Cantoribus, ſed in illis tantùm funeribus, & proceſsionibus, quibus Canonici interfuerint, aliàs ſemper inter Cappellanos, Choriſtæ primus, Magiſtro ſecundus locus cedatur.

De Diſtributore, & eius officio. Cap. 20.

AB eiſdem Archidiacono, & Dignitatibus in Capitulo de officialium creatione dictum eſt, denominetur in Diſtributorem eligendum, & eligatur, vt in eodem ipſo Capitulo. Is teneatur iuramentum præſtare ſe nihil facturum in præiudicium noſtræ menſæ aut preter noſtrarum conſtitutionum diſpoſitionem & idoneum ſuæ futuræ adminiſtrationis fideiuſſorem, extrà tamen perſonas noſtræ Eccleſiæ infra octo dies, qui tamen per duas partes tripartiti Capituli votorum probetur, & acceptetur. Habeat is in ſuo officio Camerarium ſuperiorem, & ab eo exigendi, atq; omnia, & quæcunq; generaliter & agendi, mandatum accipiat, & omnia illius nomine exequatur, pareat, & obediat: à quibuſcunq; noſtri Capituli debitoribus, & fictuariis creditum, tàm pecuniarum, quàm frumenti expetat, atq; animaduertat quòd frumentum bonum, & mercantile recipiat, aliàs ſi malum triticum ſoluere voluerint, recuſet omnino, & via iuris bonum ſoluere compellat. Agat contra omnes vigore mandati à Camerario accepti vſq; ad integram ſatisfactionem.

Colligat fideliterq; recipiat, & cuſtodiat, vbi ſibi

magis

magis placuerit, omnes, & quoſcunq; redditus, & prouentus ordinarios, & extraordinarios pecuniarum, ceræ, & frumenti, quomodocunq; exigendos, poſq; vendat, vendiq; faciat temporibus congruis Camerario conſulto.

Non poſsit tamen eos ipſe emere, nec alicui Eccleſiæ noſtræ neq; etiam Archidiacono, aut Dignitatibus, ſiue aliis pro eis ſub quouis prætextu vendere, niſi cum expreſſo conſenſu Capituli, ſi contrafecerit ad maioris valoris ſolutionem aſtringi poſsit quo tempore ſui officii res ipſæ venundari potuiſſent.

Omnem pecuniarum quãtitatem habeat, & teneat penès ſe ſingulis menſibus, vt à Chori Magiſtro computum habuerit in diſtributiones deſeruientium conuertendam, retentis tamen apuntaturis, & pœnis omnibus in quemcunq; inflictis, & impoſitis in præſentibus conſtitutionibus, taxatis, & declaratis; deinde in ſalaria, & prouiſiones, vſuſq; alios, & neceſsitates, tàm ordinarias, quàm extraordinarias, prout acciderit, & à Camerario habuerit in mandatis, ſine eius commiſſione Diſtributorem ipſum nihil omnino poſſe expendere declaramus, exceptis quotidianis diſtributionibus, per cedulam tamen à Choriſta & Camerario ſubſcriptam.

Nulli etiam mutuò dare audeat, aut ſupra id de pecunia Capituli perſoluere quod non debet, ſecus faciens, ſuo periculo feciſſe ſciat, librũ teneat, vt moris eſt dati, & accepti, ſiue diariũ ex quo rationes deſcripta s. quomodolibet mẽſæ trãsferat in maiorẽ Codicẽ.

Sit

Sit ſuper omnibus reparationibus, litibus, aliiſq; negociis imminentibus, pro quã à Capitulo ſiue à Camerario illi iniunctum fuerit. Pro labore ſiue mercede habeat ſibiq; retinere poſsit, de omnibus pecuniis, ſeu prouentibus, redditibus, ex venditionibus, & oblationibus redactis in pecuniam à quibuſcunq; noſtri Capituli debitoribus exegerit, paruulos duos pro qualibet libra. Et vt commodius negociis vacare queat in omnibus diuinis officiis per tres menſes etiam ſi non abfuerit pro præſenti habeatur, dummodo de miſsis celebrandis Eccleſia non fraudetur, & in matutinis reliquo anni tempore non punctetur. Declarantes nihilominus, diſtributorem mutuo poſſe ſeruientibus aliquid de diſtributionibus currentis menſis appendere pro neceſsitate petentis, ita tamen vt in fine menſis cum debitoribus, qui mutuũ acceperunt, paria faciat, vt non remaneant debitores, Et ſi ſecus fecerit quicquid ab eo commodatum fuerit in eiuſdem diſtributoris debitum conuerti volumus, niſi debitorum nomina per ſuffragia Capitulum acceptauerit.

Sit in officio annum vnum, & poſsit in eodem ad libitum Capituli confirmari.

Teneatur præterea in finem cuiuſlibet anni infra viginti dies poſt expletum officium ſuæ adminiſtrationis, etiam ſi fuerit confirmatus, duobus Canonicis à Capitulo eligendis, & Camerario, qui erat tempore ſuæ adminiſtrationis, rationẽ reddere, & omnia quæ ad eius munus peruenerint cum effectu nouo Diſtributori, ſi non erit denuo confirmatus, conſignare alioquin

quin diſtributionibus omnibus Maſſæ Cappellanorum & emolumentis quoq; in officio perceptis vacet, abſq; alia declaratione, donec contumax eſſe deſierit, & nihilominus contra eum, eiuſq; fideiuſſorem modis omnibus in Epiſcopali Curia procedatur.

De Chori diſtributionibus. Cap. 21.

DIſtributionum genera in quantitate ſunt diuerſa iuxtà diuerſa totius officii genera. Quadrifariam inſuper conſiderantur. Sunt enim maiora, aut minora ſolemnia, Dominicalia, & Ferialia. Quorum vnacuiq; ſua competit diſtributio. De his igitur & de aliis eiſdem conſequentibus in hoc capite dicendũ eſt.

De ſolemnibus maioribus.

MAiora ſolemnia, quæ & ſolemniſsima nuncupantur, ſunt infraſcripta videlicet. Feſtum.

Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis ſub cuius inuocatione Eccleſia noſtra conſtructa eſt.

Omnium Sanctorum.

Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Dominica eiuſdem Reſurrectionis.

Dominica Penthecoſtes, quod intelligitur etiam in primis Veſperis.

In his diebus diſtribuatur cuilibet Canonico.

PRo maiori Miſſa ſolidi quatuor.
Pro Veſperis totidem.
Pro Completoriis ſolidus vnus.
Pro Matutinis ſolidi tres.

De minoribus ſolemnibus.

Minora ſolemnia hæc ſunt.

Circuncisionis Domini.
Sancti Marii.
Feſtum Epiphaniæ.
Sancti Sebaſtiani.
Purificationis.
Sancti Matthiæ.
Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ.
Feria quinta ma. Ebdomadæ.
Feria ſexta in Paraſceue.
Sabbathi Sancti.
Feria ſecunda, & tertia Reſurrectionis Domini.
Sanctorum Philippi, & Iacobi.
Sancti Victoris.
Conſecrationis Eccleſiæ.
Aſcenſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
Sabbathi ante Penthecoſtes.
Feria ſecūda, & tertia Penthecoſtes.
Dominica Sāctiſsimæ Trinitatis.
Sancti Iuſti.
Sancti Clementis.
Feſtum Corporis Chriſti.
Sanctarum Attinæ & Greciniana.
Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ.
Sanctorum Petri & Pauli.
Viſitationis Beatæ Virginis Mariæ.
Sancti Iacobi.
Sancti Laurentii.

Sancti Bartholomei.
Sancti Octauiani.
Natiuitatis Virginis Mariæ.
Sancti Vgonis.
Sancti Matthei.
Sanctorum Coſmæ & Damiani.
Sanctorum Simonis, & Iudæ.
Commemoratio Defunctorum.
Præſentatio Beatæ Virginis Mariæ.
Sancti Andreæ.
Sancti Thomæ Apoſtoli.
Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ.
Sancti Stephani.
Sancti Io: Euangeliſtæ.

In his ſolemnibus minoribus lucretur quilibet Canonicus.

PRo Matutinis ſolidos tres.
Pro Miſſa ſolidos tres.
Pro Veſperis ſolidos tres.
Pro Completoriis ſolidum vnum, quod intelligatur etiam in primis Veſperis.

De Dominicalibus.

Dominicarum totius anni
Octauarum dies Corporis Chriſti.
Margheritæ Virginis, & Martiris.
Feſtũ Mariæ Magdalenæ.
Sanctæ Chriſtinæ.
Sanctæ Annæ.
Sancti Chriſtophori.
Sancti Petri ad Vincula.
Sancti Dominici.
Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Niues.
Claræ Virginis.
Transfigurationis Domini.

Sancti

Sanɛti Donati.
Sanɛti Rocchi.
Sanɛti Bernardi.
Sanɛti Auguſtini.
Decollationis Sanɛti Ioannis Baptiſtæ.
Sanɛti Iuliani.
Sanɛti Reguli.
Lini Papæ.
Exaltationis Sãɛtæ Crucis.
Hieronimi Doɛtoris.
Dedicationis Sanɛti Michaelis.
Sanɛti Franciſci.
Dedicationis Baſilicæ Saluatoris.
Dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum.
Sanɛti Cerbonii.
Sanɛti Lucæ.
Sanɛti Martini.
Sanɛtæ Ceciliæ.
Sanɛti Galgani.
Sanɛtæ Barbaræ.
Sanɛti Dalmatii.
Sanɛti Nicolai.
Sanɛti Ambroſii.
Sanɛtæ Luciæ.
Sanɛtorum Innocentium.

Sanɛti Silueſtri.
Sanɛti Antonii.
Cathedra Sanɛti Petri.
Sanɛtæ Agnetis.
Conuerſionis Sãɛti Pauli.
Sanɛti Ioannis Chriſoſtomi.
Sanɛti Geminiani.
Sanɛti Blaſii.
Sanɛtæ Aghatæ.
Sanɛtæ Catherinæ.
Sanɛti Iacobi interciſi.
Sanɛtæ Apolloniæ.
Cathedræ Sanɛti Petri Antiochiæ.
Feriæ quartæ Cinerum.
Sãɛti Thomæ de Aquino.
Sanɛti Gregorii.
Sanɛti Ioſeph.
Sanɛti Benediɛti.
Sanɛti Leonis.
Tranſlationis Sanɛti Octauiani.
Sanɛti Marci.
Sanɛti Ioannis Ante Portam latinam.
Sanɛti Athanaſii.
Inuentionis Sanɛtæ Crucis.

Sanċti Michaelis.
Sanċti Gregorii Epiſcopi.
Sanċti Alexandri.
Sanċti Bernardini.
Sanċtæ Barnabæ.
Sanċti Baſilii.
Commemorationis Sãċti Pauli.
Dies cuiuſlibet oċtauæ.

In his omnibus ſuprascriptis diebus lucretur quilibet Canonicus.

PRo Matutinis ſolidos duos.
Pro Miſſa ſolidos duos.
Pro Veſperis ſolidos duos.
Pro Completorio ſolidum vnum, quod intelligatur etiam in primis Veſperis.

Reliqui verò dies totius anni, qui ſuperius deſcripti non ſunt, feriales appellantur, in quibus diſtributio fieri debet hoc modo, videlicet.

AD Matutinum ſolidum vnum.
Ad Miſſam ſolidum vnum.
Ad Veſperas ſolidum vnum.

De Benediċtionibus.

IN ſingulis benediċtionibus totius anni Canonici lucrentur ſolidum vnum pro qualibet. Qui verò ſacris indumentis induti ſunt duplicem portionem.

De Diſtributionibus non alterandis & qui eas participandi ſunt habiles. *Cap. 22.*

HAs autem omnes diſtributiones ſuperius declaratas, ſtatuimus non poſſe aut debere minui nec augeri, niſi de commune Capituli conſenſu; Quarum capaces tantùmmodo eſſe volumus illos Canonicos, qui ſuis præbendis integrè cum ſua Canonicali dignitate potiuntur, numero videlicet ſexdecim, ſed ex his qui ſaltem ſunt ad ſacrum ſubdiaconatus ordinē promoti. Qui verò non fuerint in ſacris ordinibus conſtituti, aut qui verè præbendas non obtinuerunt, harum diſtributionum incapaces & non participes eſſe volumus, decernimus, & declaramus.

De feſtis externis, & illarum diſtributione. *Cap. 23.*

IN omnibus autem feſtis externis in aliis Eccleſiis per Capitulum de more celebrandis videlicet.

In Eccleſia Sancti Iuſti in die Penthecoſtes ad Veſperas, & feria ſecunda ad Miſſam vltra diſtributiones Chori in Eccleſia, diſtribuantur intereſſentibus, & legitimè impeditis ſolidi ſeptem, ad Veſperas, & totidem ad Miſſam.

In Eccleſia Hoſpitalis in vigilia Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Veſperas ſolidi ſex, ad Miſſam ſolidi ſex.

In Eccleſiá Sancti Ioannis in vigilia ad Veſperas ſolidi ſex, ad Miſſam ſolidi ſex.

Canonicus verò, qui in dictis Eccleſiis celebrauerit, vel Epiſcopo in diuinis inſeruierit, duplū cōſequatur.

De

De pecunia recepta ex liuellis, & alijs huiuſmodi menſæ Capituli applicanda. Cap. 24.

PEcuniæ, quæ plerumq; percipiuntur ex inueſtituris, vt dicimus, & conceſsionibus liuellorum vel ob canonem non ſolutum, ſiue lineam finitam, aut etiam ob licentiam alicui conceſſam, ſeu concedendam in Emphyteoſim perpetuam, vel præfati Capituli quoq; liuellario illius maſſæ applicari debeant, ac nullatenus inter nos diſtribuantur ſub pœna priuationis duorum menſium à quolibet incurrenda contrariũ attentante.

De Paraturis. Cap. 25.

PAraturas vocamus quotieſcunq; Reuerendiſsimus D. N. Epiſcopus ſiue Canonicus, ſiue Cappellanus paratur, hoc eſt ſacris veſtibus ad rem diuinam peragendam induitur. Hæ trifariam diuiduntur in pontificales, & Canonicales, atq; feriales, in quibus infraſcriptum ordinem ſeruari volumus.

De Paraturis Pontificalibus.

Paraturæ Pontificales ſemper Reuerendiſsimo Domino noſtro competunt, quæ ſunt.

IN ſolemnitate Sanctiſsimæ Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

In Penthecoſte ſimiliter.

In feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

In

In ſolemnitate omnium Sanctorum.
In Commemoratione omnium Defunctorum.
In Natiuitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
In feria quinta Cœnæ Domini, & in omnibus aliis ſolemnitatibus, quoties eidem Reuerendiſsimo Domino placuerit.
In quibus parari volumus ſex cantores, ad Miſſam Canonicos quinq; In Veſperis totidem, in Matutinis tres. Præterea Cappellanos duos, ad mitriam alterum, alterum ad baculum paſtoralem gerendum.

In reliquis vero paraturis Pontificalibus videlicet.

IN Benedictione candelarum.
In Benedictione cinerum.
In Benedictione palmarum.
In lotione pedum feriæ quintæ maioris Ebdomadæ.
Feria ſexta maioris Ebdomadæ.
In Benedictione fontium Sabbathi Sancti parentur tãtummodo quatuor cantores, & tres Canonici videlicet Hebdomadarius Canonicus, & reliqui duo in tabula ordine ſubſequentes, qui poſsint interſe cõmodari & gradui cedere, prout ipſis magis congruum, ac decens videbitur, vel Epiſcopo placuerit, hoc tamen expreſsè declarato quòd vna ex Dignitatibus ſemper officio aſsiſtentis fungatur, quotieſcunq; Epiſcopus in pontificalibus celebrauerit. Si verò Epiſcopus eſſet abſens, vel ægritudine ſiue aliquo

aliquo negocio impeditus, & huiuſmodi munia obire non poſsit, Canonicus in tabula Hebdomadarius eius vices ſuppleat.

De paraturis Canonicalibus.

IN ſolemnibus verò diebus ad Miſſam parandus eſt Canonicus Ebdomadarius, cũ tribus miniſtris Cappellanis, & quatuor tantùmmodo cantoribus. Ad Veſperas autem, & Matutinas cum ſolo Miniſtro Ebdomadario, & quatuor cantoribus.

In omnibus verò Dominicalibus ad Miſſam parandus eſt Canonicus Ebdomadarius cum tribus miniſtris ſemper, & duobus tantùm cantoribus. Veſperæ autem incipiantur, & compleantur per Cappellanum Hebdomadarium, qui ad Capitulum ad Chorum accedat pluuiali indutus cum incenſo & duobus luminaribus. In quacunq; totius anni Dominica feſtum duplex incederit, decantanda eſt Miſſa tàm de Dominica, quàm de feſto, ſed æqua ſit vtriuſq; Miſſæ diſtributio præterquàm paratis, quos duplũ lucrari volumus, ſed primã de Dominica cantet Cappellanus. Præterea ſi eodem die duæ Miſſæ Canonicales occurrerent, ſtatuimus, quod Hebdomadarius vtram malit canere, ſed nulli alteram committere poſsit, ſed eius in tabula ad ſucceſſorem deueniat.

Decernimus etiam quod eunte extra vrbem Canonico Hebdomadario, vices illius ſuppleat, aut poſt acceptam hebdomadam aliter impedito, eius in tabula ſucceſſor,

ſucceſſor, qui hebdomadam illam expleat: hac tamen lege vt ſuam, quæ ſequitur ſibi competens non perdat, quod ſi interim hebdomadarius redierit iure ſuo vtatur proſequens ſi velit, ac finiens Hebdomadam illam quæ ſibi in tabula obueniat. Quam Hebdomadam incipere volumus in Veſperis Sabbathi ante Dominicā incluſiuè. Infirmi, & abſentes currant tabulam Hebdomadarū, nec poſsint committere. Nullus Canonicus Hebdomadarius vel ſubſequens poſsit comittere vllo modo Hebdomadas, ſiue alias paraturas ſuas, exceptis paraturis cū Reuerendiſsimo Domino Epiſcopo, ſed ſuccedentibus omnino contingant.

De Paraturis Cappellaniorum.

IN omnibus duplicibus, octauis, vigiliis, & in tota Quadrageſima parari volumus Cappellanos tres videlicet Hebdomadarius, & qui Euangelium, & Epiſtolam canit: diebus verò ferialibus, ſolùm Hebdomadarium, & duo Cantores in Choro non parati fungantur officio.

De Rotulo, ſiue Tabula ſingulorum noſtri ordinis. Cap. 26.

VLtra ea, quæ ſupra in præcedenti capite de paraturis diſpoſita ſunt, ad maiorem declarationem & ad quæcunq; dubia tollenda, ordinamus item vt fiat Rotulus, vt aiunt, vel Tabula, in qua incipiendo ab Archidiacono, & poſt Dignitates ab antiquiori, quo ad

receptionem Canonicatus deſcribantur omnes noſtri cætus, atq; ſingulis Hebdomadis, deſignetur vnus illorum, ad ſacerdotium promotus, prædictæ ordine tabulæ ſeruato, qui Hebdomadarii officium peragant ſecundum Eccleſiæ noſtræ conſuetudinem, niſi cum Reuerendiſsimus D. Epiſcopus huiuſmodi munera exercere voluerit. Non poſsit autem munus iſtud alicui committi ab eo, cui fuerit intimatum, ſed illo reſpuente, intimetur ſtatim alii donec inueniatur, qui non recuſet ſubire onus. Intimatio verò fiat à Clericis aditi Sabbatho in Veſperis, vel quandoq; in Miſſa videlicet cum prædictis Veſperis, vt interdum euenerit inchoationem habeat hebdomada: quòd ſi fortè non affuerit; ad quem iure ſpectat, fiat ſucceſsiuè progreſſus ad alios. At ſiquis poſt ſuſceptam intimationis obligationem, & incœptum munus hebdomadæ quouis impedimento aſtrictus nequiuerit ſatisfacere, ſuam puta indiſpoſitionem Choriſtæ ſignificet, hora competenti, qua commodè caueri queat ſecundum antedictam regulam, qui vices illius libenter explere valeat, abſq; ſui tamen præiudicio, cauſa hebdomadæ ſibi deinde competituræ. Verùm ſi quando quibus obuenerit aſtare paratos cum Epiſcopo, renuerint, committere poſsint ad placitum, aliter diſtributionibus illius diei priuentur ſucceſsiuè ad alios pariter progrediendo, & agatur præcedentiæ diſcrimen inter eos ratione receptionis, non ætatis, ni ſecus concordes conuenerint, præcedentibus attamen ſemper dignitatibus. Cœterum animaduertendum addimus in Paſchate

Reſurre-

Reſurrectionis Domini, Natali eiuſdē, Penthecoſtes, Maioriq́; Hebdomada eſſe dies, vt dicimus, adoptandos, quatenus verus, & legitimus hebdomadarius, primas & ſecundas Veſperas primi cuiuſq́; harum ſolemnitatum, Matutinum, & Miſſam peragere debeat, qui verò poſt eum ſecūdam item diem adoptauit eiuſdem diei Miſſam, & Veſperas expleat, ſimiliter & qui tertium, ſeruatis vt ſupra circa intimationem, & committendi prohibitionem ſeruandis. Atq́; in ſupradicta maiori Hebdomada Miſſam quintæ feriæ proprius idem cantet Hebdomadarius, reliquas deinceps feriæ ſextæ, & Sabbathi Sancti proſequantur quibus adoptio ipſa debetur, niſi Epiſcopus celebrare maluerit: Præterea pertinere ad ipſum Hebdomadarium quaſlibet Miſſas extraordinarias in prædictis adoptandis diebus à Canonicis fortaſsè canēdas, aliaq́; officia, quæcunq́; veluti ob funera, & huiuſmodi ab eiſdem obeunda, & cum plures vna eademq́; die, acciderint Miſſæ à Canonicis decantandæ fore arbitrio ipſius Hebdomadarii, quamq́; illarū ſibi eligere, atq́; inſuper, & Dignitates, & Canonicos paratos ob prædictas cauſas ſemper admittendos eſſe dupliciter. Deniq́; cauendum eſſe, cū die Sabbathi feſtum occurrat, in quo paretur Canonicus, & Veſperæ in eo fiant illius feſti ſecundæ, nec ſuccumbant, tunc Dominica de proximè ſequenti ſequentem in Matutino, vel in Miſſa hebdomadam habere principium.

De Tabulis in Sacriſtia appendendis. Cap. 27.

VT autem in Eccleſia noſtra, quæ Domus Dei eſt ritè omnia, & ſine confuſione procedant, atq; vnuſquiſq; quod ſibi officium competat, poſsit inſpicere Tabulam in ſacrario appendi volumus, in qua ad ſex menſes Choriſtæ opera officiorum ratio, eorumq; qualitas deſcribatur: Duæ item appendantur ibidem à Sacriſta manu tenendæ, in quarum altera ſcripta ſint Dignitatum, & Canonicorum nomina iuxtà eorum præcedentiã, vbi ſingulis hebdomadis ſtilus indicet, quis eorum currat hebdomadas. In altera verò eodem ordine nomina Cappellanorum vbi ſimiliter ſingularũ hebdomadarum Hebdomadarii, Cantores, cœteriq; altari miniſtrantes, Euangeliſtarii, Epiſtolarii innoteſcant, cum Miſsis omnibus, quæ ad primam vſq; ad vltimam eos pertinent, vt vnuſquiſq; ſui muneris horam non ignoret. Qui pro ipſorum iudicio, habita temporum, & perſonarum ratione huiuſcemodi miniſterii aptiores deſtinando minus idoneos ab officio remouebunt. Si qui autem commiſſa ſibi miniſteria recuſauerint, nec alium eiuſdem ordinis ſui loco poſuerit, punctetur in eam ſummam, quam tunc percepturus erat, & idem officium exequi omnino debeat, qui iuxtà Tabulam ordinandam ſuccedet, qui ſi quoq; renuet adimplere ſimili modo punctetur & ita ſemper ſeruetur. Has autem tabulas omnes Miniſtrorũ Eccleſiæ quotannis per Dominum de Cura, & Choriſtam cum conſenſu Capituli reformari, ſeu renouari mandamus.

De Proceſsionibus. *Cap. 28.*

PRoceſsionibus omnes, quas luſtrationes appellant hactenus fieri ſolitas, poſthàc fieri quoq; ſtatuimus & ſunt infraſcriptæ videlicet.

Die Sanctæ Agathæ ad portas Ciuitatis.

Die Veneris Tranſlationis Sancti Octauiani ante Dominicam Palmarum vſq; ad portam Ciuitatis.

Sabbatho Sancto, & per totam octauam vſq; ad Sabbathum in albis ad fores in templo Sancti Ioannis.

Die Sancti Marci ad ipſius Sancti Eccleſiam.

Prima die rogationum ad templum Sancti Ioannis, Alexandri, Sancti Matthei, & Sancti Hyeronimi.

Secunda die Oratorium Virginis extra portam Florentinam, ad Eccleſiam Sancti Michaelis, Sancti Andreæ, Sancti Petri, Sancti Auguſtini, & Sancti Antonij.

Tertia die ad Abbatiam Sancti Saluatoris, ad Eccleſiam Sancti Iuſti, Sancti Marci, Sancti Martini, Sanctæ Claræ, Sancti Stephani, Sancti Dalmatii, Sancti Franciſci, Sancti Lini, Hoſpitali Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Die Sancti Victoris per Ciuitatem.

Die Sancti Marii per Ciuitatem.

Sabbatho ante Penthecoſtes ad fontes in templo Sancti Ioannis.

Die prima Penthecoſtes poſt Veſperas, & die ſecunda poſt Miſſam ad Eccleſiam Sancti Iuſti.

Die Sanctæ Chriſtinæ vſq; ad Portam ſilicem.

Die Sancti Laurentii vſq; ad eandem Portam ſilicem.

In feſto Sanctiſsimi Corporis Chriſti per totam Ciuitatem.

In Vigilia Aſſumptionis per Ciuitatem.

In Die Aſſumptionis cum reliquiis per Ciuitatem.

In Die Sancti Octauiani per Ciuitatē cū eius reliquia.

In Dedicatione Sācti Michaelis vſq; ad Portam ſilicē.

In quibus proceſsionibus incedant primi Clerici in minoribus conſtituti, ſecundo ſubſtituti, tertiò habentes curā animarū propriam non alienam; quarto loco Cappellani, poſt eos Præpoſiti, Plebani, & Priores, vltimo loco Canonici ordine gradatim.

De annua Communione ſeruanda per Canonicos, & Cappellanos. Cap. 29.

DIgnitates, Canonici, Cappellani, & ſubſtituti omnes feriæ quintæ maioris hebdomadæ confectis ab Epiſcopo Sacramētis publicè communicent per eum, ſiue per alium, qui vice illius Miſſam cantauerit, vt eorum exemplo cœteros moueant, exceptis qui fortè ipſo mane celebrauerint, alioquin diſtributionibus illius diei careant.

De Gubernatione, & Miniſterio Eccleſiæ. Cap. 30.

HOra competenti iubeat ſingulis diebus Sacriſta campanam pulſari ipſi diei cōuenientem, ſed Choriſta, cum ſibi oportunum videbitur, quietem imponat,

nat, & ſtatim dicantur in Choro prima, tertia, ſeſta, & nona; Deinde ſi celebrandum fuerit pro mortuis, cantentur, vel legantur tres nocturni, & Miſſa pro defunctis, & poſteà cãtetur Miſſa Conuentualis. Poſt prandium verò hora competenti cantentur veſperæ, poſt ipſas completorium. Sed in Quadrageſima ferialibus diebus hora vigeſima ſecunda. Matutinum verò quoniã maiores noſtri propter aeris aſperitatem hyemali præſertim tẽpore, nec non propter ingentem inopiam Eccleſiæ noſtræ deſeruientium aliiſq; pluribus vrgentiſsimis cauſis moti, ab immemorabili tempore citrà hactenus de ſero ſemper recitare, vel canere conſueuerunt. Nos eandem laudabilem conſuetudinem ſequi volentes ac eiſdem, & aliis grauioribus rationibus impulſi permittendum potius eſſe duximus, quod Matutinum de ſero ſemper hora vigeſima ſecunda vel recitando, vel canendo, prout hactenus factum eſt, in Eccleſia noſtra dicatur, quàm quod omittatur, prout facilè quidem certè eueniret, ſi hora de mane ſtatueretur, excepta tamen nocte Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Reſurrectionis, Penthecoſtes, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis & ſemper in Matutinis lectiones de Homelia recitentur ſingulæ per Canonicum, & vltima per Dignitatem. Abſolutio verò per Hebdomadarium, & ita in omnibus ſeruetur.

De

De Menſa Taxarum. *Cap. 31.*

VT commoditati Cappellanorum in noſtra Eccleſia deſeruientium facilius, quo fieri poteſt, conſulatur, atq; etiam eodem tempore Eccleſia ipſa tot altaribus, & Cappellis dotatis inſignita, debitis Miſſarũ celebrationibus non defraudetur, ſed vt in ea quotidie diuinus cultus magis exerceatur. Decernimus pro celebrantium commodiori ſubſtentatione omnia Altaria, ſiue Cappellanias in Eccleſia noſtra dotatas taxandas eſſe, ſiue ſingulis taxam conſtituendam in pecunia numerata prout infra taxamus. Illis tamen exceptis, & in viridi obſeruantia permanſuris quæ vigore teſtamentorum, ſeu quorumlibet piorum legatorum certum, ac prætaxatum Miſſarum numerũ haberent, quæ teſtamenta ſiue legata in ſuo robore permanere, & inuiolabiliter ſeruari volumus. Taxa verò omnibus Cappellaniis præfinita ac conſtituta ſequitur, & eſt talis videlicet.

Cappella Sancti Octauiani. lib. 60
Cappella Sancti Chriſtophori. l. 60
Cappella S. Luciæ. l. 60
Cappella S. Blaſii. l. 60
Cappella S. Antonii. l. 60
Capp. S. Apolloniæ. l. 60
Capp. S. Hyeronimi. l. 60
Capp. Annuntiatæ. l. 60
Capp. S. Victoris. l. 60
Capp. S. Michaelis. l. 60
Capp. S. Franciſci. l. 60
Capp. Cardinalis de Soderinis. l. 60
Cappella Sancti Sebaſtiani. l. 60
Capp. S. Saluatoris. l. 60
Capp. S. Gherardi. l. 60
Capp. Annuntiatæ D. Goſtantiæ.

ſtantiæ.	l. 60	Capp. S. Galgani.	l. 30
Capp. S. Marii.	l. 60	Capp. S. Pauli.	l. 30
Cappella Sancti Bartholomei.	l. 60	Cappella S. Mariæ de Niuæ.	l. 30
Capp. Fraternitatis.	l. 60	Capp. S. Ceciliæ.	l. 30
Capp. S. Iacobi.	l. 60	Capp. S. Catherinæ.	l. 30
Capp. S. Annæ.	l. 60	Capp. S. Vgonis.	l. 30
Cappella S. Petri Martiris.	l. 60	Cappella Sancti Hieronimi de fortibus.	l. 30
Cappella Virginis Mariæ de Barbialla.	l. 60	Capp. S. Iuliani.	l. 10
Capp. Conceptionis.	l. 30	Cappella Sanctæ Mariæ Magdalenæ.	l. 10.

QVæ quidem taxæ ſic ſuperius deſcriptæ, præfinitæ & conſtitutæ per Cappellanos, ſiue rectores earundem ſolui debeant quotannis omnino integrè, & realiter, & cum effectu ſine vlla exceptione in manibus Diſtributoris Maſſæ Cappellanorum in duabus ſolutionibus, quarum prima fiat lib. 30. per totum menſem Iunii proximè futuri 1578. altera verò ſoluatur per totum menſem Decembris ſequentis, exceptis tamen illis Cappellis, quarum proprii rectores per ſe ipſos in Miſſarum celebrationibus deſeruirent. Quas omnes taxas, ſiue pecunias Diſtributor Congregationis Cappellanorum teneatur, ac debeat perſoluere Cappellanis, cœteriſq; ſubſtitutis ſeruientibus, Miſſaſq; celebrantibus iuxta ſeruitii meritum. Earum verò Cappellaniarum Rectores, ſiue ſubſtituti, quarum taxa non excedit ſummam librarum triginta, debant à

Diſtributore recipere vſq; ad integram taxam librarũ ſexaginta pro Miſsis celebrandis iuxtà tabulam in Sacriſtia ordinandam & appendendam, cui ſe prorſus obnoxios, & alligatos eſſe nouerint.

De numero taxam recipere obligatorum, & eo non augendo. Cap. 32.

QVoniam verò redditus Maſſæ Cappellanorũ ſunt adeò tenues, & anguſti, vt Eccleſiæ neceſsitati, & inſeruientium numero ſatis amplo nullo modo ſufficiant vtriſq; quantum in nobis eſt, proſpicere cupientes, Eccleſiæ primum ne debitis fraudetur obſequiis, inſeruientibus deinceps, vt incumbentibus valeant oneribus ſatisfacere; Statuimus quòd poſthàc exiſtentibus, ſeu intereſſentibus omnibus propriis Cappellaniarum rectoribus, qui eorum muneri per ſe ipſos incumbant, & ſatisfaciant, ceſſent omnino, nec recipi poſsint ſubſtituti. Cappellanis verò in totum vel in partem abſentibus, numerus eorundem ſeruientium ſit quatuor ſupra viginti, & non vltra vllo modo, qui omnes taxam modo ſupradicto pro Miſsis celebrandis recipere, & expreſsè acceptare debeant. Reliquarum verò Cappellaniarum taxas Maſſæ, ſeu congregationi Cappellanorum in diſtributiones quotidianas conuertendas applicamus. Ad quas participandas regulariter intelligantur, & ſint admiſsi ſinguli clerici hodiè Cappellanias obtinentes, modo reſidentes fuerint, ac diuinis intereſſentes, Miſſaſq; debitas in Eccleſia celebrantes.

brantes. Cœteriq; ſubſtituti, quos ad ſeruiendum Capitulum noſtrum duxerit admittendos, ſtatuentes, quod perſolutis prius quibuslibet participantibus, integrè diſtributionibus, cæteriſq; adimpletis, ad quæ Congregatio Cappellanorum tenetur, quot quot pecuniæ, vel emolumenta remanſerint, nullatenus commodis particularibus applicentur, ſed communi prorſus vtilitati Cappellanorum accreſcere dignoſcantur.

De numero Miſſarum quotidianarum. Cap. 33.

VT autem in Eccleſia noſtra debitæ Miſſarum celebrationes peragantur volumus, & ordinamus vt ex prædictis viginti quatuor ſeruientibus, & taxam acceptantibus, ſingulis Dominicis diebus, & aliis feſtis ex præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ, vel de laudabili conſuetudine Ciuitatis Volaterrarum ſeruari ſolitis, Miſſas vndecim celebrent, ſeu faciant celebrari. Diebus verò ſolemnibus duodecim, Cœteris verò ferialibus diebus decem, non computatis in huiuſmodi numero, ſed omnino demptis, & exceptis omnibus illis Miſsis, quæ in Eccleſia Sancti Ioannis, & in Societate Beatæ Mariæ Virginis celebrare conſueuerunt, & dempta, ac ſemper excepta illa Miſſa pro peccatis, & aliis Miſsis, quas Franciſcus Bouinus feruore deuotionis accenſus, ad altare ſuo ipſius ære conſtructum celebrari voluit & ordinauit, omnibuſq; aliis Miſsis ſemper exceptis, quas Congregatio ipſa Cappellanorum cum aliquo conuenerit, aut ſe obligauerit celebrare,

nec non omnibus aliis, ad quas celebrandas vigore teſtamentorum, aut piorum legatorum aliquo modo tenerentur. Ad quas omnes celebrandas, ſeu celebrari faciendas obligatos, & obnoxios eſſe volumus, & decernimus.

De modo ſeruando in celebratione Miſſarum. *Cap. 34.*

QVoniam autem inſeruientium numerus excedit numerum Miſſarum, quæ ſingulis diebus celebrari debent, vt debitus ordo ſeruetur, inter celebrare debentes, ſtatuimus quòd in Sacriſtia apponatur tabula cum hac inſcriptione. Miſſæ quotidianæ. In qua deſcribantur nomina ſingulorum participantium de diſtributionibus, quorum medietas de duabus Hebdomadis, alteram ad celebrandum ſingulis octo diebus alternatiuè ſe prorſus obnoxios nouerint, ſic & obligati, ſi celebrare omiſerint, aut per alios celebrari non fecerint, punctentur diebus ferialibus in ſolidos ſex, diebus dominicis, & feſtiuis in ſolidos treſdecim, in ſolemnibus in libram vnam, cœteri verò quieſcant. Diebus autem feſtiuis ac ſolemnibus in quibus Miſſæ celebrandæ obligatorũ numerũ ſuperant, & excedunt iuxtà illius diei cõuenientiam, quieſcentes ſuppleant.

De ordine celebrandi Miſſas planas. *Cap. 35.*

NEqua inter celebraturos oriatur confuſio, ſtatuimus, vt qui prius ſacrarium ingreſſus fuerit, prius paretur,

paretur, & prius, ſi voluerit, exeat ad celebrandum; Canonico autem ſemper liceat, ante Cappellanos egredi, etiã ante ipſum paratos, dummodo id modeſtè fiat, & ita diſcretè, vt inter duos Canonicos vnus exeat Cappellanus ad celebrandum. Prohibemus etiam in terminis punctorum Chori vltrà Canonicum vnum paratũ plures in ſacrario paratos Cappellanos præter vnũ manere, quod ſi qui manſerint, ad diſtributionem non ſunt admittendi, ſed pro abſentibus habeantur.

De legitimis impedimentis. *Cap. 36.*

IMpedimenta, quibus Eccleſiæ noſtræ deſeruientes, tàm Canonici, quàm Cappellani, tàm quo ad diſtributiones quotidianas, quàm ad omnia emolumenta & extraordinaria, funeralibus exceptis, ſi abfuerint, excuſari, & pro præſentibus haberi volumus, hæc ſunt. Infirmitas teſtimonio Medici approbata, dummodo non abſit à Ciuitate. Purgatio corporalis, Medicinæ ſumptio, miſsio, ſeu detractio ſanguinis, omnes Capituli negociis quibuſcunq; detenti. Excuſetur inſuper, & admittatur, ſiquis ad tempus in obſequium Reuerendiſsimi Epiſcopi, vel eius Vicarii generalis, vocatus fuerit, dummodo non vltrà duos Canonicos, & totidem Cappellanos pro qualibet vice. Vnus verò à Vicario vocetur. Volumus præterea, vt ſiquis Canonicus ſenio confectus, vel legitimè impeditus adeò fuerit Choro inſeruiendi impotens, aut inhabilis reddatur, ſi infirmitas, & inhabilitas à Capitulo approbabitur,

tur,

tur, à Choriſta admitti poſsit ad quotidianas diſtributiones.

De vocatis ab Epiſcopo Dignitatibus, & Canonicis. Cap. 37.

SIquando aut Dignitatum, aut Canonicorum aliqui accerſantur ab Epiſcopo eant, quibus ordine tabulæ competat, niſi viſitandi gratia, etenim putandum eſt ad munus eiuſmodi euocari ab Epiſcopo, qui magis cenſeantur idonei, & cunctis præterea diſtributionibus ordinariis, & extraordinariis admittantur.

De cura animarum. Cap. 38.

QVoniam tàm ex conſtitutionibus Capitularibus, quàm ex decreto in viſitatione auctoritate Apoſtolica facta cognitum eſt, curam Parochianorum Eccleſiæ noſtræ non ad Archipræsbiterum (vt prætendebatur) ſed ad Capitulum, & Canonicos, tanquàm huius Eccleſiæ proceres pertinere. Ipſi ſuo oneri ſatisfacere videbuntur, ſi confeſsionibus pro tempore audiendis ſedulò incumbant. Sed quoniam Miniſterium Baptiſmi, totum hominem deſiderat, idcircò volumus, vt in principio cuiuslibet anni vnus ſiue Canonicus, ſiue Cappellanus, ſeu ſubſtitutus per ſuffragia à Capitulo deputetur, ex quatuor perſonis, à Dignitatibus, ſeu antiquioribus Canonicis præpoſitis, qui ad curam, & regimen noſtræ Eccleſiæ aptiorem magiſq; idoneũ vitæ

integri-

integritate, & chriſtiana eruditione cognouerit. Qui ſic legitimè deputatus, & ab ordinario in primis, & ante omnia approbatus, Curator nuncupetur & tàm in Eccleſia noſtra, quàm foris in tota Parochia, tàm de die, quàm de nocte propter infirmos, ſi oportuerit, id munus diligentiſsimè exequatur. Huius igitur Curatoris eſt munus Sacramentum Baptiſmi exercere, audire confeſsiones, cæteraq; omnia Eccleſia Sacramenta noſtræ Parochiæ diligenter adminiſtrare. Is pro ſua mercede, & labore percipiat, quicquid hactenus percipere conſueuit.

Et quoties in Choro non ad fuerint, non punctetur ſed admittatur ſemper, tàm ad ordinarias quam extraordinarias diſtributiones, vbi in Eccleſia foriſq; huiuſcemodi curæ operam impendat.

De officio Sacriſtæ. Cap. 39.

AEdituus, ſiue Sacriſta, fideiuſſo ribus datis, & officio inito primùm recipiat à Sacriſta veteri rerum omnium inuentarium, ad ſacrarium pertinentium, & id in librum transferat inuentarium.

Hic pro Sacriſtiæ miniſteriis duos Clericos habeat, curam retineat de omnibus bonis Sacriſtiæ prout habetur in libro rubeo, & omnia exequi teneatur, ad quæ vigore conſtitutionum in eo libro deſcriptarum obligatus exiſtit, dummodo noſtris conſtitutionibus non ſint contrariæ.

Eius præcipuè cura ſit circa Miſſarum celebrationem;

nem, in qua ei Cappellanos, & ſubſtitutos obedire volumus, & debeat librum retinere, in quo quotidie mane deſcribat quis Miſſam celebrauerit, & contumaces Cappellanos diebus ferialibus per ipſum punctari volumus in ſol. ſex, diebus verò minoribus ſolemnibus in ſol. treſdecim & den. quatuor. In maioribus verò ſolemnibus in ſol. viginti, ſi Eccleſiam Miſſa defraudauerint, & in communem vſum conuertantur, & in die Natiuitatis Domini N. quilibet obligatus, ad celebrandum non vnam, aut duas, ſed tres integras Miſſas omnino celebrare debeat in Eccleſia noſtra ſub pœna librarum duarum Sacriſtiæ applicandarum, & ne in punctationibus huiuſmodi ſuam oneret cõſcientiam, ſciat ſibi hoc eſſe iniunctum de mandato Reuerendiſſimi Epiſcopi ſub pœna periurii excommunicationis, & priuationis officii, vt prædictos à Miſſarum celebratione deficientes punctaret, quod laudamus, & ad id dictas pœnas eum teneri volumus punctorum ſolum Choriſtæ, vt eas ex diſtributionibus Cappellanorum detrahat, fideliter conſignauerit. Poſsit tamen eos iuſtis, & rationabilibus impedimentis ægritudinis videlicet excuſare.

Habeat prætereà alium librum ſub titulo dati, & accepti, cærarum omnium, vini, olei, in eius munus vndecunq; deuenientium.

Tabulas dicti Sacrarii ſic cuſtodiat, vt ſine fraude conſeruetur, Canonicis ipſis, ſi abfuerint proprii, eorum partem ſupplentibus, ſemper die anteriori ſuas Hebdomadas per Clericum denunciari faciat. Inuigilet

præterea, vt horis congruis lampades, & cæræ iaccendantur, Eccleſia cultu debito præparetur, & Campanæ debitis horis pulſentur.

Quando verò horariæ præces, aut alia officia decantari debent in eo Choriſtæ obediat.

Hominibus Societatis Corporis Chriſti, ſignum per campanulam vt moris eſt, dari curet, quotieſcunq; ad infirmos aliquos Santiſsima Euchariſtia fuerit deferenda. Cæras omnes, vndecunq; venerint in noſtrã Eccleſiam, poſtquam extinctæ fuerint, ſtateraq; appenſas, Diſtributori ſiue Operario conſignet prout cuiq; conſuetum eſt.

Si quid paramentorum vtenſiliumq; denuò ſuperuenerint, ſtatim ſuo Inuentario adſcribat. Sed cum ſit quod paramenta ipſa aliaq; vtenſilia, diuino cultui deputata in graue damnum, & dedecus ſæpiſsimè commodentur; Statuimus poſthàc nullo modo tàm laycis, quàm aliarum Eccleſiarum Rectoribus commodari poſſe, aut penès ſe retineri ſine expreſſo Capituli cõſenſu, ſub mulcta librarum quinq;, quod ſi factum fuerit in prophanos vſus, vltra Dei omnipotentis iræ incurſionem, tàm Sacriſta, quàm quiuis alius huius impietatis fuerit auctor, diſtributionibus careat menſes quatuor. Qua pœna etiam puniatur qui paramenta, quæ drappellones appellant, extra Eccleſiam noſtram alicui accomodauerit, præter duas filzas Priori Sancti Petri in ſilice, quia hac conditione donati fuere.

Inſuper exemptus ſit ab omni Chori onere, quando eſt in Sacriſtia, ſed nõ vacet à Miſſarum celebratione.

Si quis in his, quæ ad eius officium pertinent, iure vel iniuria inſurrexerit, aut quocunq; modo iniurioſus fuerit, aut ipſe Sacriſta aliis, cum ab eo offenſus ad Capitulum referre debeat, diebus quindecim diſtributionibus careat, & vlterius pro delicti menſura ad libitum Capituli puniatur.

In fine officii cuiuſlibet anni, etiam ſi fuerit confirmatus, Sacrarii tamen Inuentarium à Camerario, & Conſeruatoribus recenſeatur.

De officio Conſeruatorum Sacriſtiæ, eorumq; electione, & auctoritate. Cap. 40.

CONſtitutionem noſtræ Eccleſiæ hactenus obſeruatam de Conſeruatoribus Sacriſtiæ eligendis, prorſus approbantes, & innouantes, ſtatuimus, vt quotannis de menſe Aprilis ex burſa, in qua nomina omnium Dignitatum, & Canonicorum ſint incluſa, extrahantur per Capitulum duo Canonici, qui vnà cum duobus laycis per populum & Communitatem Volaterranam eligẽdis, ſint, & eſſe intelligantur Conſeruatores Sacriſtiæ, penès quos reſideat omnis poteſtas, & auctoritas gubernandi, & adminiſtrandi bona Sacriſtiæ, prout ad præſens adminiſtrant. Et ea omnia & ſingula exequi teneantur, ad quæ iuxtà diſpoſitionem antiquorum conſtitutionum in libro magno rubeo Sacriſtiæ deſcriptarum obligatos eſſe dignoſcantur. Prohibentes nihilominus, quod circa adminiſtrationem Eccleſiæ, aut rerum Canonicorum, Cappellanorum ipſorũ

reddi-

redditũum aut diſtribũtionum, ſeu circà ordinem cultum diuinum exercendi nullo modo valeant, ſe intromittere; Sed omnia ad Capitulum ipſum pleno iure ſpectare: libri autem rationum Sacriſtiæ aſſeruentur in capſa ad hoc deputata. Poſito autem officio, vacent tribus annis, & ſiquis Canonicus, aut laycus debitor Sacriſtiæ, vel Capituli extractus fuerit, ſiue electus, nullo modo poſsit officium acceptare, niſi prius omnem quantitatem, vſq; ad nummum perſoluerit, & finito officio infra viginti dies ſindicentur per duos ſindicos, alterum à Capitulo, alterum per communem Volaterrarum eligendos.

De viſitandis infirmantibus à Camerario. Cap. 41.

CVm acciderit aliquem noſtri ordinis ægrotare, Camerarius, & Dominus de Cura concomitante illum inuiſant, & poſt commodam, quo ad animam peractam exhortationem, ducatos quatuor Capituli noſtri mutuò ei porrigant, debitori eiuſdem Capituli præſertim non exiſtenti.

De funeribus aſſociandis. Cap. 42.

QVotieſcunq; ad mortuaria Capitulũ inuitatur toties proficiſcantur clerici omnes, ſubſtituti, Cappellani, Canonici, ac Dignitates, etiam ſi fuerit eundum gratis, & ſine eleemoſina. Si verò eleemoſina diſtribuenda fuerit, inter illos duntaxat diſtribuatur,

qui cum funere proceſſerunt, & inter occupatos tunc temporis in negociis Eccleſiæ & non inter alios vllò modo, forma verò diſtribuendi, huiuſmodi eſto: portionem ſimplicem accipiat Cappellanus, Canonicus duplam, Sacriſtiæ Clericis vnica tãtum Canonici portio aſsignetur inter ſe ipſos diuidenda. Si verò ad funus totum Capitulum non vocabitur, tunc vadat ille numerus præsbiterorum, qui à defuncti domeſticis petitus fuerit, non tamen vadant Canonici, ſed tantùm Cappellani, quibus id ſecundum tabulæ ordinem in Sacrario affixæ, competet, & tunc quicquid eleemoſinæ ex illo funere perceptum fuerit, inter ipſos tantũ diſtribuetur, qui funus ipſum fuerint proſecuti. Candelarum autem quæ in funeribus dantur, ſeruetur huiuſmodi diſtributio. Officiales Chori videlicet Magiſter, Choriſta, Sacriſta, Diſtributor, animarum Curator, & primi duo Cantores, & quilibet Canonicus, duplam accipiant, Cappellani verò ſimplicem portionem, Canonicus verò Hebdomadarius duplam Canonici, & Sacriſtiæ Clerici accipiant ſinguli Cappellani portionem. Nec petantur candelæ pro aliquo abſente, etiam legittimè impedito, niſi tunc temporis parato ad Miſſam celebrandam, aut pro adminiſtrante in Eccleſia noſtra ſacramenta. Qui ſecùs fecerit, aut qui candelas omnes acceptas non accenderit, ſiue in diſceſſu ab Eccleſia cum Cruce ad viarum angulos non adfuerit, vel in redeundo Crucem vſq; ad Eccleſiam nõ aſſociauerit, niſi petita, & obtenta licentia ab Archidiacono vel tunc Præſidente Capituli de illius funeris

eleemoſina

eleemoſina non participet, & ſi nihil diſtribuitur, in ſolidos quinq; per Choriſtam punctetur.

Quando per Canonicum Hebdomadarium, Miſſam preſente corpore in funere celebrari contigerit, Canonicus ſubſequens in tabula officium exerceat ad feretrum, & non alius vllo modo.

Præcipimus etiam, & prohibemus, nequis ex Dignitatibus, & Canonicis, Eccleſiæ noſtræ poſthàc mortuariis, ſiue exequiis quibuſlibet, nullo pacto interſit, niſi capitulariter. Indecens enim valde videtur & inde eorum, quòd niſi totum corpus adfuerit, membra diuiſim non ſine dedecore antiquitatis, & dignitatis noſtri Capituli cernantur. Qui verò interfuerit mulctetur pro qualibet vice in ſolidis quadraginta exceptò animarum Curatore, ſi Canonicus eſſet, & ſi funus ad Eccleſiam noſtram defertur.

De honore defunctis noſtrorum Conſanguineis exhibendo Cap. 43.

CApitulum funera patrum, & matrum, fratrumq; noſtrorum requiſitum, honoret, alia verò nequaquàm niſi prius decreto ipſius itẽ requiſiti cõcedatur.

De officio celebrando in morte Canonicorum. Cap. 44.

QVotieſcunq; aliquem ex Dignitatibus, & Canonicis, ex hac vita migrare contigerit, ſtatuimus, vt infrà octo dierum ſpacium à die obitus Sacriſta curet

vnum

vnum mortuorum officium cum tribus nocturnis, & Miſſa Canonicali in Eccleſia noſtra pro anima ipſius defuncti celebrandum, & quicunq; Miſſam planam celebrauerit, lucretur ſolidos quatuor. In Choro verò cera ſolummodo intereſſentibus diſtribuatur pretii vnius aurei, & Canonici portionẽ duplam accipiant, ſimplicem Cappellani quos, dicto officio intereſſe mãdamus. Qui verò non celebrauerit, non lucretur. Aliud verò officium poſt feſtum Sancti Octauiani pro benefactoribus Capituli de more celebretur.

De ſubſtituendo loco Cappellanorum. Cap. 45.

IN ſubſtituendis loco Cappellanorum præsbiteris, attẽdatur primò, vt Sacerdos omnino exiſtat quiſq; ſubſtituendus, deinde vt duarum partium decreto Capituli trifariam diſtincto probetur, habito nihilominus anteà vniuſcuiſq; diligenti examine à Domino de Cura, rectèq; diſcuſſa etiam ſubſtitutionis cauſa, his autem ritè ſeruatis, qui fuerint admiſsi, Eccleſiæ deſeruiant, taxam præfinitam à Diſtributore pro celebratione Miſſarum recipientes. Cappellani verò in Palatio Dominorum Priorum inſeruientes, ſi idonei fuerint, loco ſubſtitutorum prius recipiantur à Capitulo, vt ſi velint, Taxam conſequi valeant, quàm alii non habentes titulum in Eccleſia noſtra. Eo autem die, quo in Palatio celebrauerint, ſint & eſſe intelligantur exempti à celebratione in Eccleſia noſtra, & percipiant diſtributiones in Miſſa maiori tanquam præſentes.

De

De Confirmatione ſubſtitutorum. Cap. 46.

SVbſtituti loco Cappellanorum, poſthàc confirmentur ſingulis annis Ianuarii menſe maioris præfati Capituli, partis decreto, & ſingulatim, ne promiſcuè trutinando, mali ſimul cum bonis admittantur.

De Clericorum Magiſtro. Cap. 47.

IN deligendo Clericorum noſtrorum Præceptore, multa ac diligenti cura opus eſſe cenſemus. Multũ enim refert, vt pueritia ipſa, quæ veluti quædam ſeges eſt, vnde Eccleſia noſtra aliquando ſit fructum idoneorum Sacerdotum perceptura non ſolum in timore Domini bonis cùm literis, tùm moribus erudiatur, ſed etiam à quibus potiſsimùm erudiatur, formetur, & alatur. Proinde ſtatuimus non quemq; nobis forte obuium eligendum, ſed verum omnino bonum, qui & vitæ inculpatæ, & doctrinæ ſanæ, & bonæ conuerſationis teſtimonium habeat. Eligendum igitur in primis ad ſacrum Præsbyteratus ordinem promotum eſſe decernimus, vt probè calleat, qualiter vel quomodo Clerici à teneris inſtituendi ſeu formandi ſint, vt grandiores facti in idoneos, proboſq; ſacerdotes moribus, & doctrina præditos euadant. Sit igitur habitu, & profeſſione Sacerdos, cuius partes erunt Clericos omnes Eccleſiæ noſtræ gratis in grammaticis erudire & cantum, quem firmum appellant, curet, vt perdiſcant. Prætere a vt Clerici minores Miſsis planis aptè deſeruiant,

gran-

grandiuſculi verò Chori atq; altaris miniſterio incum bant, ſuum quoq; erit in differenter omnes in officio continere hortari, allicere, monere, corripere, & caſtigare.

De Clericis, & Schola viſitanda. *Cap. 48.*

ET quoniam non facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat, res anguſta domi, Conſtituimus Clericos noſtros omnes gratis, hoc eſt, ſine illorum ſumptibus grammaticem, & cantum firmum à Præceptore docendos, atq; ex toto Clericorum Grege ſex eligendos ætate, moribus, & eruditione aptiores, qui deſcribantur in Rotulo, atq; ſingulis libram vnam, & ſolidos decem pro ſalario ſingulis menſibus Diſtributor noſter perſoluat; vbi verò ex ſeno illo numero aliquē vacare contigerit, alium ex eadem ſchola in vacatis locum à Capitulo ſubrogetur. Quorum ſcriptorum præcipuè intereſt quotidie manè ad Magiſtri præſcriptum Miſsis planis inſeruire nec non Chori, & altaris quæcunq; miniſteria exequi, prout cuiq; illorum tabula altero in locum alterius ſuccedente contigerit. Conſtituimus etiam quoniam ſchola Eccleſiæ noſtræ dexter oculus eſſe debet vt ſaltem bis in anno ab Archidiacono, & Camerario viſitetur, in ea ſiquid corruptum, & deprauatum inuenerint, expurgetur & denuò reformetur. Clericorum verò ſi qui diſcoli, aut magiſtro contumaces inuenti fuerint ablegentur. Quibus viſitationibus Clericorum omnium, ac totius

Scholæ

Scholæ negocium, curam caſtigationem, omnimodamq; correctionem iubemus in primis atq; mandamus. Ipſos verò ſi ſcholam viſitare neglexerint, vnius menſis diſtributionibus mulctandos eſſe declaramus.

De Viſitatione Beneficiorum Capituli. Cap. 49.

DEcernimus quòd vnoquoq; triennio Camerarius vnà cum alio Canonico à Capitulo nominatim deputato, de Menſe Maii viſitare debeat ſingula beneficia, tàm curata, quàm ſine cura ad Collationem, ſeu inſtitutionē Capituli pertinentia, ſeu illi annexa, vnita, incorporata, diligēter inſpiciendo, perſcrutando, & inquirendo Rectorum mores, aut Cappellanorū, quo modo cultui vacent diuino, tùm in Sacramentorùm ad miniſtratione tùm circà paramenta miſſalia, & huiuſmodi opportuna, vt ſi quicquàm in prædictis omnibus, honorem Dei, & Capituli vtilitatem minus concernens ac reſpiciens reperiatur, vniuerſo poſtmodùm eidem referatur Capitulo, à quo de conſenſu maioris partis, quid agendum poſteà ſit deliberare valeat.

De non erigendis nouis Cappellis ſine conſenſu Capituli. Cap. 50.

LIcet multæ hactenus in Eccleſia noſtra Cappellaniæ erectæ reperiantur, ſunt tamen adeò exigui redditus, vt diuinus cultus obſeruari, & exerceri nullo modo poſsit. Quare ſtatuimus, vt poſthàc nulla Cap-

pella de nouo erigi, & fundari poſsit, niſi præcedente licentia Reuerendiſsimi Ordinarii, vt iura diſponunt, & niſi fuerint competenter dotatæ, ideſt niſi ad minus pro dote conſtituti fuerint aurei duodecim, & vlterius tantam pecuniarum quantitatem in bonis ſtabilibus conuertendam, Maſſæ Cappellanorum aſsignari volumus, cuius redditus ad diſtributiones quotidianas participandas ſufficiat, atq; id per ſuffragia trium partium ex quatuor Canonicorum in Capitulo intereſſentium obtineri volumus.

De Prædicatore eligendo. *Cap. 51.*

CVm ex immemorabili, & inueterata conſuetudine electio verbi Dei Concionatoris ad Capitulũ noſtrum pertinere dignoſcatur, diſpoſitioni Sacri Concilii Tridentini adhærentes ſtatuimus, vt quotannis die veneris poſt Dominicam in albis per Capitulum eligantur ad minus tres viri probi ex quacunq; religione, quæ nobis magis placuerit Reuerendiſsimo Epiſcopo proponendi, vt perquirere, & perſcrutari valeat, quis illorum doctrina alios antecellat, & ex tribus à nobis propoſitis, vnus ad eius arbitrium confirmare, & approbare poſsit, qui tempore Quadrageſimæ verbum Dei annunciare piè populo valeat Pro Aduentu vero duo tantùm eligantur à Capitulo vt ſupra proponendi, & confirmandi.

De

De officio Scribæ, & eius Electione. Cap. 52.

ELigatur quotannis Menſe Ianuario vnus Notarius per duas tripartiti Capituli partes, qui Collationes, & inſtitutiones beneficiorum ad diſpoſitionem noſtram ſpectantium rogare debeat, & à prouiſis, ſeu inſtituendis pro labore, & expeditione Bullarum conſequi poſsit libras decem in totum. Necnon conficiat inſtrumēta quæcunq; à Capitulo facienda, & in vnum codicem redigat, & pro quolibet rogitu cum copia in libro deſcripta, habeat libras duas, & in die Purificationis candelam benedictam ſex vnciarum. Non poſſit tamen poſthàc deſcribere Capituli deliberationes, aut dum tractantur ipſius negocia amplius intereſſe.

De Sigillo Capituli per quem retinendo. Cap. 53.

SIgillum Capituli penès Archidiaconum, & eo abſente, penès Camerariu m continuò aſſeruari, & retineri volumus, & mandamus.

De Domibus Canonicæ, quæ pertinent ad Capitulum, & eorum Taxa. Cap. 54.

VOlentes antiquam, & laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ noſtræ circa domos Canonicæ innouare; Statuimus vt is qui in præteritum non habuerit de præ

ſi voto duarum partium intereſſentium ſibi conceſſa fuerit, illius poſſeſsionem nullo modo valeat adipiſci, niſi prius Taxam inferius præfinitam infra xv. dies à die conceſsionis ſibi factæ re ipſa perſoluerit Diſtributori noſtri Capituli in communes vſus cõuertendam: alias conceſsio prædicta irrita, inualidaq; remaneat, & Capitulo illam alteri concedendi liberum, ſolutumq; ſit. Si verò Canonicus, cui conceſsio domus facta fuerit, ipſam Domum intrare temerè præſumpſerit, Taxatione ipſius antea non perſoluta, incidat in pœnam dupli taxationis prædictæ, quã niſi ſolueritintra alios xv. dies ſubſequentes, omnibus iuris & facti remediis compellatur, domum liberam & expeditam dimittère & nihilominus taxam perſoluere compellatur. Et ſi nullus Canonicus reperitur, qui domum huiuſmodi ad habitandum ſibi aſsignari exoptet, concedatur Cappellanis eadẽ forma adunguem ſeruata, quod intelligatur etiam de iis Canonicis, qui nõ domos prædictas tenent & poſsident. Declarantes expreſsè, quod is qui vnam domũ obtinet in Canonica prædicta poſthàc aliam obtinere, nec ſibi per Capitulum vllo pacto concedi valeat quacunq; conſuetudine etiam immemorabili hactenus obſeruata non obſtante.

Taxa Domorum Canonicæ ſequitur, & eſt talis.

DOmus prima quæ eſt ſupra Sacriſtiam pro Taxa ſoluat. lib. 30.

Domus quæ eſt iuxtà librariam, cuius pars modo detinetur per miniſtrum operæ cum ſecunda manſione,

ne, quæ eſt ſupra Gallinarium D. Hieremiæ. l. 30.
Domus ſecunda in ordine poſt eam, & quæ hodie detinetur per D. Hieremiam Rapuccium à parte inferiori, quæ erit ex duabus manſionibus in Clauſtro ſuperiori. l. 30.
Domus tertia in ordine poſt prædictam, quæ hodie poſsidetur per D. Octauianum Pichinenſem, cuius introitus eſt ſubter & deſuper ſoluat pro taxa. l. 40
Domus quarta in eodem ordine, quam hodie retinet D. Iulius Archipresbyter cum manſionibus ſuperioribus, & inferioribus ſoluat. l. 70.
Domus quinta in ordine hodie poſſeſſa ab eodem Archipresbytero. l. 30.
Domus ſexta & vltima, quam obtinet D. Ludouicus Burſellius ſoluat pro Taxa. l. 80.
Domus prima & ſecunda iuxta Campanile, quæ hodie deſeruiunt pro Magiſtro Muſices, ſi quando contigerit ad alium vſum transferri ſoluantur pro vtriſque. l. 60.
Domus tertia in eodem ordine, quam D. Octauianus Pichinenſius obtinet. l. 30.
Domus quarta in eodem ordine à D. Franciſco Marchio poſſeſſa. l. 30.
Domus quinta & ſexta, quæ vſui ſcholæ Clericorum

contiguis manſionibus, nempè vbi vegetes D.Hieremiæ nunc exiſtunt, & aliam quam ipſe reaptauit, & vbi retinet Gallinarium cum alia manſiuncula non taxatur quia à parte inferiori quàm primũ reaptanda eſt pro reſidentia Capituli, & ipſius Archiuio, & pro horreo, ſeu Granario eiuſdem.

Domus ſecunda in ordine, quã hodie habitat D. Hieremias Rapuccius cum quatuor duntaxat manſionibus. l. 40

Domus vltima in eo ordine quæ nunc eſt D.Michaelis Contugii. l. 30.

Quas quidem Domos vt ſupra taxatas optari poſſe volumus & ordinamus per Dignitates & Canonicos Antiquiores quotieſcunq; vacare contigerint eodẽ modo, & forma quo ſupra diſponitur in cap. de optan. Preben. ſoluendo reſiduum Maioris taxæ quoties optaueritis, qui ſemel taxam ſoluerit. Qui vero poſtea vacãtem Domum obtinuerit integram conſtitutam taxam perſoluat.

De Menſibus Abſentiæ. Cap. 55.

QVoniam abſentia Canonicis, qui conſueuerunt Eccleſiæ deſeruire, diuerſimodè conceditur, iuxta laudabiles Eccleſiarum conſuetudines, vt alacriori animo per reliquum anni tempus ſeruitio Eccleſiæ poſtea incumbant, alibi enim alternatis vicibus per menſes deſeruitur, alibi aliquod ſpatium abſentiæ conceditur. Nos volentes recta eorum ſequi veſtigia decernimus,

mus, vt omnes de Capitulo ſingulis annis, in quibus perſonaliter ipſi Eccleſiæ menſibus ſex ad minus inſeruierint ſaltem in Matutinis pro qualibet die tantùm, vel Miſſa, Veſperis, aut Completorio, ac interpellatè licèt connumeratiſq; diebus, in quibus & ſi nõ perſonaliter deſeruierint, aliqua tamẽ legitima de cauſa fuerint per Choriſtam admiſsi, accipere poſsint abſentiam trium mẽſium per vnam diem, per plures, vel etiam ſimul totam ad libitum ab vno videlicet ad alterum Ianurrii menſe, & ſint quot quot vice qualibet accipiantur dies, vt dicimus currentes, non Choriſtæ commiſsi, vt eligantur ab eo dominicales, aut ſolemnes tantùm, ſed à recipiente vel per ſe vel per alium ſingulis vicibus expoſtulati, eaq; potiantur admiſsi, dummodo extrà Ciuitatem ſint diebus de præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ ſeruari ſolitis, vel in Eccleſia noſtra ſolemnibus: In his enim diebus ſi in Ciuitate reperiuntur huiuſmodi, abſentia nullo modo potiri poſſe volumus, & decernimus. Diligentia Choriſtæ ſuper hoc maximè requiſita, qui neminem admittat quibus horis nunquam interuenire perſpiciat, ſeu tam rariſsimè, vt pro nihilo ſit æſtimandum. Et ſi fortè accidat vt aliquis abſentia recepta non deſeruiat eo anno

eus aduenicns, prius aggrediatur quàm diuinis interfuerit officiis per ſex menſes, quibus ad eam aſſequendam communiter eſt inſeruire neceſſe.

De mulctis, ſiue pœnis omnibus. *Cap. 56.*

QVi Capituli noſtri conſtitutiones hactenus factas, ſiue olim faciendas inuiolabiliter obſeruaturum iurare neglexerit, ſiue Dignitas, ſiue Canonicus, ſiue Cappellanus in noſtra Eccleſia nullatenùs poſthac recipiatur, & poſſeſsio illi penitùs denegetur donec illas iurauerit.

Accedentes ad horarias præces, cæteraq; Eccleſiæ officia ſiue ad proceſsiones, ſiue ad funeralia, ſine almutio & cotta alba ſuper induta decenti, ac talari veſte, atq; tonſura non ſint admittendi.

Siquis noſtrum verbis probroſis criminoſis, vel cõtumelioſis quempiam ex noſtris prouocauerit, iniuriaq; affecerit, coràm teſtibus illicò ſenius menſis diſtributionibus priuatus ſit. Declarantes eidem mulctæ Cappellanos etiam ſubeſſe, quotieſcunq; in hanc conuiciandi foueam inſolenter inciderint, inter ſe ipſos, contra verò Dignitatem, ſeu Canonicum inſurgens, puniatur arbitrio Capituli iuxtà delicti menſurã.

Si verò connicium publicè factum fuerit, ſiue in Capitulo, dum negocia pertractantur, ſiue in Sacriſtia, ſiue in Choro, dum diuina celebrantur officia, ſcandalumq; peperit, duorum menſium diſtributionibus carere mandamus.

Siquis

rere mandamus. Si quis Canonicus ſiue etiam Archidiaconus ſecreta aut negocia Capituli, necnon habita colloquia in Capitulo reuelauerit, duorum menſium diſtributionibus careat, & per totidem menſes nullis Capituli ſeſsionibus, ac deliberationibus intereſſe poſſit. Si quis dum diuina celebrantur officia cum cocta linea ſurſum, vel deorſum per Eccleſiam deambulauerit omnibus illius diei diſtributionibus priuatus ſit, & pro qualibet vice punctetur in ſolidis decem. Si quis contra Choriſtam, vel Sacriſtam in iis, quæ ad exequutionem ſui officii pertinent iure vel iniuria inſurrexerit, aut quouis modo contumax, & contumelioſus fuerit, vno menſe diſtributionibus vacet, & vlterius iuxta delictum à Capitulo puniatur.

Sacriſta ſi forte paramenta, aut drappellones ſine expreſſa Capituli licentia, alicui commodauerit pro qualibet vice pœnam librarum quinq; incurriſſe declaramus.

Quilibet Diſtributor qui ſuæ adminiſtrationis infra menſem ab officio depoſito, non reddiderit rationem priuatus ſit cunctis diſtributionibus, & ex Eccleſia noſtra expellatur, donec illam reddiderit, atq; omne debitum, ſi illi eſt, diſſoluerit.

ſeu dubitatio, aut ſcrupulus oriatur, nihil enim adeo clarè, quin clarius reddi poſsit, tunc rei dubiæ declarationem, ſeu diffinitionem per duas tripartiti Capituli partes habendam eſſe declaramus, nec vlli poſt Capituli declarationem liceat aliter extorquere, aut contra obniti, cæteris tamen ſaluis, & in ſuo robore permanentibus.

De Abrogatione veterum conſtitutionum. Cap. 58.

NE autem ex multiplicimacorum noſtrorum ſententia & variis eorũ ſtatutis aliqua inter nos vnq̃ exoriatur differentia, volumus & hac poſtrema determinatione tandem ſancimus, vt omnes veteres conſtitutionum editiones, omnino ſint abrogatæ, cunctaq; alia in earum cùm tranſeuntia penitus ablata. Quatenus quo ad huius Collegii decreta nihil à nobis totaq; familia Eccleſiæ noſtræ poſthàc ſeruari debeat, ni ſi quod in præſenti volumine, communi omnium con ſenſu die octaua Menſis Nouembris 1577. ſolemni, ac generali Capitulo legitimè congregato continetur Reuerendiſsimi D. Epiſcopi autoritate confirmandum.

GVIDO Seruidius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Volaterranenſis Sacri Romani Imperii, Principis in Hetruria & Comes Palatinus. Vener. fratribus Archidiacono, Canonicis, & Capitulo Cathedralis

thedralis Eccleſiæ Volaterranæ, Omnibuſq; aliis, & ſingulis, quos præſens tangit negocium, ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum ſalutem in eo, in in quo eſt noſtra omnium vera ſalus.

Notum vobis facimus qualiter hodie pro parte veſtra requiſiti, viſis, lectis, ac diligenter conſideratis conſtitutionibus per vos nuper legitimè, & nouiter fa ctis, & in præſenti volumine deſcriptis, & comprehen ſis, & omnibus in eis contentis, eas, & omnia, & ſingu la in eiſdem contenta autoritate noſtra ordinaria teno re præſentium approbamus, confirmamus, & perpetuè firmitatis robur adiicimus, & omnes, & ſingulos, tàm iuris quàm facti defectus, ſi qui forſan interuenerint, in iiſdem ſupplemus, Et pro earum ſubſiſtentia firmiori ex noſtro mero officio Motu proprio, vobis & veſtrum cuilibet mandamus, quatenus eas & omnia & ſingula in eis contenta prout ad vos coniunctim, vel diuiſim pertinet perpetuis futuris temporibus inuiola biliter ſeruetis, & ſeruari faciatis, ſub pœnis in eis reſpectiuè contentis, & aliis etiam grauioribus arbitrio noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum pro grauitate culpæ imponēdis, & irrogandis. Datum Volaterris in Ædi bus noſtræ ſolitæ reſidentiæ apud ſanctum Michaelem Anno Incarnationis Dominicæ [illegible]

Io Rondino Carmelita Sacræ Paginæ Profeſſore, & Domino Æmilio Bonacurſio Clerico Lucanæ Diœceſis familiari noſtro teſtibus ad præmiſſa vocatis, atq; rogatis.

Ita Confirmamus, & Approbamus. Nos Guido Epiſcopus Volaterranus.

Nicolaus Mactonarius Cancellarius Epiſcopalis Curiæ de mandato ſſ.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 3. linea 13. pro	*per.*
Pag. 9. lin. 4. delectis	*deletis.*
Pag. 13. lin. 6. diſcopertam	*diſcoopertam.*
Pag. 13. lin. 23. ſigillatim	*ſingillatim.*
Pag. 17. lin. 26. canonicæ	*canonicè.*
Pag. 46. lin. vlt. quomodolibet	*quolibet menſe.*

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M.